

Handwritten text, possibly a signature or title, in cursive script.

20

56v. o. Gr.



	A
Sección	18
Tabla	
Número	380

CA1850334

A. 8435



CRISPVS

Composito et P. P. de Maccenys
TRAGOEDIA

BERNARDINI STEPHONII
SABINI PRESBYTERI
E SOCIETATE

ex *libri*
Clavio *Crissp*
IE S V



ROMÆ
Apud Carolum Vallietum
MDCT

UNIVERSITARIA

Ms. B. 1. 32

1773

CHAP. 12

ADJUDICIA

BRITANNICI REGNI

SCOTIAE

IN SCOTIA

1773

1773

ROMA

Ba
S O D A L I B V S

ILL.^{MAE} CONGREGAT.^{NIS}

P R I M A R I A E

B. M A R I A E V I R G I N I S

A N N V N T I A T A E

Pela A C A D E M I C I S P A R T H E N I I S. *Comp*

B E R N A R D I N V S S T E P H O N I V S

Ho S O C. I E S V S. D. *Gran*



XITVS Iulij Flauij Crispi
tragico ploratu lamentabilis
ante quinquennium, ad exci-
tanda studia iuuentutis, a me
Romae datus in scenam, mul-
torum animos, vt mihi tunc animaduerte-
re videbar, ad misericordiam inflexit. Igi-
tur (vt miseri sumus, qui lacrymis pasci-
mur) cum idem ille quorundam primùm

A 2 preci;

precibus, deinde quotidianis Amicorum
pene conuicijs reposceretur; nec vllum
facerent flagitandi finem, quò Iuuenem
omni laude florentem nouercalibus arti-
bus è rerum humanarum culmine deie-
ctum, & per me primùm in Romano fyr-
mate spectatum, iam in conspectum pro-
duci sinerem litteratorum; adduci tamen
numquam potui, quibus denegare nihil
possum, hoc vt aliquando debere nollem.
Cur autem ita sentirem, has ferme causas
habebam. primam non nihil verebar hanc
aeratem ingeniorum vberime feracem:
cui non probari, ea, quae dedissem, non
erat eius, qui nihil aequè vereatur, quàm
iustas reprehensiones doctorum virorum.
Deinde, qua praeter ceteros Poëtae cu-
piditate nominis efferuntur, semimor-
tuam hanc immortalitatem aut respue-
bam, aut desperabam litteris perituris.
nam illud, superstitem esse filijs suis, vt
homo sum, omnino mihi non placet:
&, si datur optio; malo coelibatum,
quàm

quàm orbitatem. Huc accedebat, quod ille Crispus magis ad alienum, quàm meum sensum scriptus est. neque enim eram nescius, futuros quosdam, qui Faustae Nouercae personam in hac Fabula extra Proscenium requirerent, quam Meorum autoritate, ipso nec abnuente, nec adnuente Aristotele, intra Proscenium abdidissem. Quid, si etiam minime mihi molestum est me Poëtam non haberi? Quid si etiam nomen illud, quamuis per se magnum, & amplum, multis tamen suspectum, odiosum non paucis à me recusabam? His adeo causis, alijsq; permultis adductus, offirmaueram animum Aspensum illum Citharoedum imitari: si quando vellem, vt intus mihi canerem, vt aiunt, & Musis. Neq; vero me multum mouere debuit spectatorum illa flebilem Actorum vocem consequuta collacrymatio. lacryma nihil facilius exprimitur, nihil citius arefcit: & mihi tam amicus ipse non sum, quin intelligam sensum illum commiserationis

tionis acerbum exarsisse vehementer, non tam meo, quo commotus esset stylo, quam Sodalium vestrorum, quo exulceratus est gestu. Multum (quod vos eruditissimi Iuvenes non fugit) multum ardoris, & dignitatis habet illa Theatri lux. omnia maiora facit scenicus ad motum compositus omnis apparatus, & illae praeclarae non per aures solum, sed etiam per oculos ad animum traiectae rerum imagines. Quod pectus ita ferreum est, vt non illud expugnet Orchestra, Logaeum, Thymele, choragium, emmelia, parodus, exodus, numerus, concentus, eiulatio, conquestio, comploratio, fletus, ipsa iam humanitatis exulceratione iucundior, tum, cum omnis inflammata gestu, tamquam amentata, vehementius intorquetur oratio? Multorum adeo recordor ingenia, cum ad caueam Histrionum opera pulcherrime stetit, extra caueam, Actoris calore refrigerato, turpissime concidisse. vt nunc demum accipiam Platonem in Politia scenicos

nicos ludos è Rep. submouentem. Philosophus enim ad rationis Regnum omnia referens, in optimo, quem fingebat, statu Ciuitatis, inimicam existimabat esse rationi perturbationem animi vehementem. Tum autem, quis obsecro leget haec? an illud tanti est, *Vel duo, vel nemo?* Nondum intelligitis (dicebam Amicis, cum instabant diligentius) non dum, inquam, sentitis, artem musicam ad paucos esse redactam? Helicon iste vester, mihi credite, mera nunc fabula est. nihil in illo reperietis, nisi solitudinem & rupes: dicetis, si locum considerabitis, Eurydicen hic Orpheum esse dequestum: ita nihil hoc theatrum habet aliud, praeter cautes, ad quas offensa resultat imago. Quid hic hospites & ignoti meliorem aevi partem ad haec sola spineta lacera-
mus? quin ad multitudinem redimus? interdum non est turpe, cum multitudine sentire: & in parte felicitatis est, communem calamitatem sequi. nemo ciuium,

ciues suos in Catadupis miratur esse fur-
dastros . Res pene iam ad altercationem
venerat ; cum ex Amicis quidam subira-
tus , hem , inquit , quia licet , animo supi-
no sis . cum dicto libellum ex sinu profert .
accipio : exemplum erat Crispi pessime
descriptum ex malo . fateor : vulneraue-
runt oculos meos scripturae foedissima
passim vulnera . cernebam verba non mea
temere inculcata pro meis : versus spurios :
sententiarum lacunas : carminis hiatus ,
Fabulae partibus alijs inuersis , alijs am-
putatis . dolebam , miserum Iuuenem non
meliore conditione mortuum esse , quàm
vuius fuisset : vt nihilo clementius Libra-
riorum studijs , quàm odijs Nouercae ha-
beretur . Quidam homines sunt , qui faci-
lius plausus repudiare , quàm irrisiones
sustinere possint . Itaque ego ille , qui nullam
vnquam sermonis auram ex hac Poëta-
rum amoenitate captassem , alienas labes
aspergi mihi , cum inquinatissima scripta
promulgari cernerem pro meis , equidem
stoma .

stomachabar . Itaque nihil aliud tum ,
quàm sensum silentio pressi : mox accura-
tius coepi mecum ipse cogitare, num ali-
qua posset inueniri tam foedis huius Fa-
bulae vulneribus medicina. Consilium vn-
um erat , vt publicis proeli litteris, quod
Amici postulabant , meum ipsius exem-
plum consignaretur . Hoc ita constituto ,
reliquum consilium expeditius fuit, cuius
potissimum nominis inscriptione notatus
perueniret in doctorum manus. à vobis
Academici Nobiliss. non aberrandum ,
fuit , quorum opera primùm Crispus
meus Romae commendatus est. Idem igi-
tur ad vos redeat , non vt in Hermathena
collocetur: sed, vt illud ipsum, quod dice-
bam, testatum relinquam: hanc Fabulam
in theatro cum placuit , vestri Coetus
actione placuisse : me vero quamuis nulla
mea laude nobilitatum , alienis maculis
notari non aequum esse . Valete.

CLAVDIVS AQUAVIVA,
Societatis Iesu Praepositus
Generalis.

C Vm Crispum Tragœdiam a P. Bernardino Ste-
phonio, Societatis nostrae Presbytero scri-
ptam, quatuor eiusdem Societatis Theologi, quibus
id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi pos-
se probauerint; facultatem concedimus, vt typis
mandetur, si ita Reuerendis. DD. Vicesgerenti, &
P. Magistro S. A. Palatij videbitur. In quorum fidem
has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro
munitas dedimus Romae xxvij. Octobris M D C I.


Claudius Aquaviva.

Locus † Sigilli.

Imprimatur, si placet R. P. Magistro Sacri
Palatij Apost. B. Gypsius Vicesger.

Imprimatur, F. Io. Maria Brisichelleñ.
Sac. Palatij Apostolici Magister.

ARGUMENTVM


BVLIVS Flavius Crispus Caesar Flaviij Constantini Augusti ex Mineruina Filius s. Helenae Augustae Nepos, & Minoris Helenae gemellus, Christianis sacris expiatus, bello clarus, & saepe victor, & ex Germanorum clade triumphalis tertium Consul occiditur iussu Patris, crimine Nouercae. Haec est Fausta Maximiani Imperatoris Filia, quae cum illecebris sanctitatem illius, & pudicitiae constantiam expugnare tentasset; reiecta & contempta dolorem repulsae non tulit. Quam ob rem nouercali odio instincta, & muliebri leuitate, ad perniciem Iuuenis innocentissimi animo intento, periculum illi ad virum Constantinum falsa criminatione conflatur. quo crimine Crispus & innocentissimus, & Caesar, & tertium Consul, & victor, & triumphalis per summam iniuriam oppressus, iudicij genere per Hippolyto, sanctitate morum, rebus gestis, & mor-

is contemtionē superior, Faustam Phaedrae,
Constantinum Theseo simillimos expertus est.

Romae gesta res esse dicitur: quo tempore
Crispus ipse Consul ex Alemannico bello vi-
ctor ad Urbem esset cum exercitu, Senatu
triumphum illi decernente, Constantino Fau-
stae Filio Consule Fratris Collega Senatum
habente, Constantino Imperatore Patre refe-
rente.

ALIUD BREVIUS.

IVLIVS Flavius Crispus Caesar, Flaviū
Constantini Augusti Filius, ex Aleman-
nico bello victor tertium Consul, foris parta
pace, domi bellum offendit. Is cum honeste
cadere, quàm turpiter facere maluisset; Fau-
stam Nouercam Phaedrae, Patrem
Theseo simillimos est expertus,
Hippolyto ipse con-
stantior.

PERSO-

P E R S O N A E

Phaedrae Umbra

Malus Daemon

Chorus Iuuenum Romanorum ex conui-
ctu Crispi, & disciplina & educatu S.
Helenae.

Constantinus Minor

Senator Constantini Minoris Moderator

Constantinus Maior Aug. Imp.

Artemius Tribunus Militum

Senatus

Senex Faustae Custos

Eunuchus Faustae seruus

Fidicina intra Proscenium

Nuntius Aulicus

Manipulus Militum duplex

Crispus Caesar & Consul cum Lictoribus
laureatis.

Fausta intra Proscenium

Nuntius

Praefectus Urbis

Ablaius S. Helenae Aug. Palatij Comes.

ACTA.

CRISPVS. TRAGOEDIA.

ACTA. LVDIS. PARTHENICIS.

ANNO. SALVTIS. FVNDATAE. MDXCVII.

FERIIS. ANTECINERALIBVS.

MODOS. FECERE.

MVSICI. PRAESTANTISSIMI.

EGERE. NOBILISSIMI. ADOLESCENTES.

GEMINA. CVM. HIPPOLYTO.

TER. DATA. ROMAE.

SEMPER. PLACVIT.

J. P. C.



ACTVS PRIMVS

SCENA PRIMA.

Phaedrae Umbra. Malus Daemon.

Phæ.



AEC illa tellus fraudibus
Phaedrae grauis.

Hanc caede casta pollui Iu-
uenis pij.

Foedis perusta facibus illi-
citi thori.

Haec illa dura sidera aetherae plagae
Inimica, dira, tristia, aspectu horrida.

Hinc innocentem spiritum traxi nocens

Anima furentis pabulum, & causam mei

Nunquam occidentis, semper ardentis
rogi.

Quid huc coacta Phaedra moliris viam,

Rursusq; relegis functa vinorum domos?

An

*An ut vetustum expenderes crimen, nouis
Exhausta poenis? in quod exemplum no-
cens*

*Transcribor? incaestifica, detestabilis,
Scelestia Mater, scelere nec solito furens
Vlrix Erinnyis: quodq; vix reperit fidem,
Amans Nouerca, lugubri flagrans face.
Si grauius aliquid impiam poenae exigit;
Quid est quod addi possit aerumnis meis?
Quam Phaedra misso Dite lanienam su-
bis?*

*Parumne videor misera quod fœdæ Stygis
Vorticibus agitor, voluor, allidor, premor
Naufraga, cruenta, cassa vitali die,
Sine luce nomen igneo cinctum freto,
Semper rependens quidquid admisi semel?
Vel hic nitentis vultus, & Mundi decor
Iucundus alijs, nocte lethæa mihi
Moestior, in ora crimen obtrudit meum,
Phaedramq; Phædræ obiectat, & sceleris
notas*

*Animo insidentes: qualis aduersam refert
Faciem vel vnda fontis illimis liquens,
Vel vitreus orbis subditi plumbi mora
Sistens opaca lucis ineuntis fugam,
Quocumq; mentis incidunt oculi (heu meae
Monu-*

*Monumenta culpae) facinus agnoscunt
vetus*

Animaeq; longos fontis annales legunt.

*Haec astra Mundi clara, quae terram
ambiunt,*

Vicesq; versant temporum, testes erant

Oculi mearum conscij fraudum: haec mihi

*Nunc obloquuntur indices linguae, &
scelus*

*Animae nocentis exprobrant, instant,
notant,*

Mihiq; memet iudici ostendunt ream.

M. Dae. *Etiam ne segni restitas anceps gradu.*

Impia Nouerca, Mater execrabilis

Foemina nefandi sceleris infanda artifex

*Etiam ne dubitas? perge, quam monstro
domum*

Agitare furijs: perge Reginam tuis

Ambire flammis. Aula cur luctu vacat

Inuisa? non dum corde versatum nefas

Aggressa, blandas admonet Iuueni preces

Regina? non dum saeuit instinctu effero

Augusta? gemini ventila sceleris faces.

Infer & amores, infer & diras neces

Patri, & Nouercae: Theseum vincat

Pater

Nouer-



*Nouerca Phaedram. Siste quo praeceps
ruis?*

*Phae. Ad liquida stagna sulphuris foedae Stygis:
Meum ad cubile flammeo obscurum rogo:
Ad vos gementes Inferi, ad luctus meos.
Mirabar haec quo verterent sese nouae
Inopina lucis dona. non ergo satis (mor?
Sum misera propria fraude, ni aliena pre-
Heu heu: quid angues durus intentas ni-
gros?*

*Minitare, saeui, verbera, tortis seca
Humeros patentis viperis. praestat scelus
Arcere tantum nunc ubi vasto patet
Tellus hiatu? liceat hac culpa manus
Castas habere, incoesta si videor satis.
Nunquam ne solis hauriet clarum iubar
Sine fraude Phaedra? lucidum quoties
diem*

*Aspiciet, & peccabit? hoc caelo frui
Impune nunquam poterit? ubi tellus hiat?
Effugere superos liceat, & densum chaos
Sedem nocentum petere.*

*M. Dae. Quid frustra es? prius
Misce Penates funditus: totam aduoca
Phaedram, & furorem diuide in totam
domum*

Sortita

Sortita temet alteram, Hippolytum alterum

Hortante Phaedra Fausta nil vetitum putet,

Nihil verendum: iura temerentur thori:
Stringantur enses: integri pereant male:

Et Fausta tecum certet ingenio tuo,
Vincat suo. tu concita taedam hanc prius:
Fige hac Nouercae pectus; ac Phaedra imbuere.

Fidem, pudorem, Numen, exturba ocyus:
Accerse facinus impium, & mores tuos.

Haec impudicae mentis instigat nefas:

Haec sancta casti foedera exsoluit thori:

Hinc luxus, hinc nutritus in luxu parens

Scelerum cupido: coecus hinc mentis furor:

Hinc insolentis carnis instinctus feri

Alimenta sumunt: vincet hac Fausta impudens

(tui Phaedram impudentem. criminis partes

Agita priores. sensus hanc flammam rapit,

Mouet error inter laeta Fortunae bona,

Nutrit voluptas, otium, somnus, dapes:

Nullum Inferorum maius hoc monstrum malum,

*Cui probra semen, dedecus fructus, modus
Est fraus, Egestas finis, exitium, dolor,
Luctus, querela. Quisquis huic pesti dedit
Animum obsequentem, vulnus & caecum
fouet,*

*Et blandiendo dulce permulcet malum,
Ad recta flecti deuius nunquam potest:
Nullumq; violens nouit in rebus modum:
Gestit secundis insolens, fractis gemit:
Aliena raptat gurges, effundit sua,
Omnemq; probris urget infandis domum.
Quid doceo Phedram? temet hortere, et tibi
Tuos amores suggeras. fraudum dabis
Scelerumq; multum. criminum causam
hanc moue,*

*Tuos furores commoues, flammam tuas.
Vbi hoc furentem senseris oestro, efferam,
Nullaq; victus lege retinebit pudor;
Vbi blandientem viderit: (nosti modum)
Et supplicentem spreuerit Matrem im-
piam,*

*Duraq; iuuenis aure respuerit preces
Aduersus, intractabilis rigidus, ferus;
Tunc igne foedo sauciam, flecti insciam,
Turpis repulsae consciam (partem alte-
ram*

Tui

Tui furoris aduocans) hac incoque
 Taeda, & cruoris penitus inspira sitim,
 Rabiemq; caecae mentis, & saeuum im-
 petum

Verae Nouercae. Iura, pietatem fidem
 Omnemq; Matrem corde violento exigit:
 Phaedramq; totam importet immanis fu-
 ror:

Teq; innocentem faciat: exundet, ruat,
 Praeceptis feratur cupida vindictae Parens
 Omnes volutet foeminae iratae dolos.

Quantus caminis spirat aethnaeis vapor,
 Vbi mole pressus spiritus sulphur vomit:

Qualis trifulca scinditur nubes face,
 Vbi celsa tecta fulminat Regum Deus;

Tales docente Gnossia spirit neces

Romana Phaedra. duplices flammam tuas
 Agitante te, te praeside, atq; interprete
 Maiore monstro misceat: Mundi hoc de-
 cus,

Hoc columen Urbis inclytum euersum oc-
 cidat,

Tuisq; flammis fumet Aeneadum domus.

Fauslae furenti Phaedra praeniteat face.

Resides furores vsus hortatur recens.

Nunc causa maior, maior incubuit metus:

*Nisi prouidentur, coepta nec nostro Dei
Prohibentur astu: Dardanam Christus
breui.*

*Fraenabit Aulam: nostra pellentur procul
Suspecta Regna: funditus quassae ruent
Sedes Deorum: Christus eieceto Ioue
Canetur orbe magnus asserto Deus,
Quid dubia spectas? suscita sensus tuos,
Et sancta laudes, uina quod laudaueras.
His iura Christus Urbis auspicijs regat:
Phaedraq; ducat pronuba Romam Deus.
Si prima nobis coepta succedunt bene;
Probris Nouercae casta squalebit domus.
Nisi se Nouercae Iuuenis insanae dabit;
Superest furoris alterum crimen tui,
Vt Aula Iuuenis caede tabescat pi.
Ad hoc tuae poscuntur exemplum manus.*

*Phae. Rerum repertor, arbiter Mundi Deus,
Et Inferorum terror, & vindex atrox
Qui iura terrae, iura moderaris poli
Verende, formidande ineluctabilis,
Testor rubentis dexterae hanc taedam op-
prime.*

*Quia nam abnuentem sceleris authori ob-
sequi
Meo grauatam cogit alienus furor?*

Nec

*Nec te veremur: sensus hic olim fuit.
 Poenas veremur fraudis exemplum nouae
 Veremur: isto more peccatur mihi,
 Tergo meo plectetur, hortatu meo
 Impura Meretrix quicquid haec inuase-
 rit.*

*Alios ministros fraudis istius lege.
 Non ergo Romam Fausta succendet furens,
 Nisi Phaedra~~m~~ Faustae suggerat notas
 faces?*

*Vt furia mittor? impetu instinctae meo
 Noceant Nouercae? mittor ut grauida
 vapor*

*Tellure rupta pestilens foedam luem
 Sparsuraterris? testor, abiuro, abnuo,
 Abominatam posteris Phaedram execror.
 Sit Fausta Romae pestilens, Phaedra At-
 ticae:*

*Ludia peregit Graia iam partes suas:
 Peragas tuas Romana nunc partes: tibi
 Pecces Nouerca: Phaedra peccauit sibi.
 Melius tuo ferere quam genio meo.
 Quae me magistram quaerit, haec me non
 eget,*

*Credite, magistra. vicit authorem prius,
 Quae sapere nondum didicit exemplo meo*

*Et fulminatam furere post Phaedram
potest.*

M.Dae. *At nil vereris impudens nostram ma-
num?*

*Faxo, verendam sentias. credo haud ma-
lum*

*Est pondus isti verberi. tergo doles?
Sic soleo amicos. perge Reginam ocyus
Aggredere, curaq; implica fontem impia.
Non imparatum pectus ad noxam afferes.
Parere cessas contumax?*

Phae. *Casta impera.*

M.Dae. *Audi pudicam.*

Phae. *Lege vel recta iube.*

M.Dae. *Audi modestam. Phaedra nos recti ad-
monet.*

Iniqua sint, an equa, parendum est tamen.

Phae. *Poenam imminentem fraudis indignae
horreo.*

M.Dae. *At ego putabam stultus optari. suas
Ut video poenas Phaedra dumtaxat timet.
Serum est timendi tempus. hic Faustae
timor*

*Si esset mouerer. vile mancipium meum
Luctere quamuis, facere quod nolis, velis.
Malus est Magister officij poenae metus.*

Quae

Quae mente turpi pectus instructum gerit,
 Poenam recuset haec licet, culpam appetit.
 Quod ratio poscit, victor extorquet furor.
 Ne mentientem rideas: mentem tuam
 Edisce rursus. Ecquid agnoscis faces
 Illas, quibus Prinignus extinctus iacet?
 Haec est amoris turpis: hac rursus aestua:

Irae haec cruentae: rursus hanc pestem
 obbibe.

Phaedrae admouetur Phaedra, quam Fausta hauriat.

Perge, & pudendis verte naturam ignibus:

Phae. Quis hic in imis ossibus gliscit furor?

Lateq; regnans pectus exsorbet meum?

Ille est, pudorem victa quo pessum dedi:

Qui caede Iuuenis tinxit incaestas manus

Cupidae Nouercae. fiat hoc, fiat nefas,

Quod mihi medullis intimis penitus furit:

Quod extimescunt Inferi, Phaedra abnuat.

Sequor volentem quisquis exstimulas, sequor.

Frustra medullis insitam exerces sitim.

Quantum cruoris Tyberis inuitus bibes,

Ipsiq; colles arce septena ardui?

Ibo, ibo: flammam pectori insigam impias:

Explebo

*Explebo longam caede Thesaea famem:
Patrem, & Nouercam caede respergam
noua:*

*Ipsum nitentis culmen euertam domus:
Vetus integrabo facinus exemplis nouis:
Quae nulla taceat vna properabit dies.
Vtinam liceret regiam caeli aggredi,
Ipsumq; Phaedrae vindicem Regem aethe-
ris.*

*M. Dae. Sic, sic feratur: Mater in caestis flagret
Impura flammis: stillet in fonti rubens
Cruore mucro: sordeat luctu Pater:
Iuuenis triumphis clarus indigne occidat:
Vlulata caedes Vrbe funesta sonet.*

*Nunc quando turpis turpe seuisisti scelus:
Terras nefanda linque: contactu tuo
Moestae grauantur: cede confestim loco,
Cede lutulenta: carceris noti specus,
Globosq; flammae repete stant causae necis
Fraudum est abunde. cernis vt clarum in-
bar*

*Pallefcit orbis? nutat & dubium solum?
Praesente Phaedra fluctuant Mundi vices.*

*Phae. Tibi hoc propino sanguinis Rector poli,
Quod Phaedra caelo porrigit Faustae ma-
nu.*

SCENA

S C E N A S E C V N D A

Constantinus Minor Consul. Senator
Constantini Moderator.

Con. **V**T aequus illam lauream, & frontis
decus,

Illos honores stirpis inimicae probem?
Crispi triumphos Caesar ut plausu sequar?

Perfundet ante sidus Arctoum mare;

Afros Bootes ante sitientes premet;

Riphea siccis mugient Austris iuga:

Iberus ortum, Vesperum Ganges dabit:

Resluet retortis Tybris ad fontes aquis:

Auras liquentes squammeum innabit ge-
nus:

Proles volantum salsa su! cabit vada,

Cum luce certam sancient umbrae fidem,

Cum morte vita flamma cum fluctu prius,

Quam sceptrum seruus generis inuisi feram.

Sen. Per spectata si quid rebus in dubiis fides,

Animusq; certus meruit, ut curas bene

Credi latentes auribus nostris putes;

Quis corde fixus fluctuat vultu dolor?

Quae

Quae tacita, quae so, cura te Caesar coquit?
 Cur ora non quae publicis debes bonis
 Ostendis Aulæ? fare: nam fando soles
 Minui: tacendo saevus augefcit dolor.
 Sic clausus olim spiritus terrae sinu
 Luctatur ingens, mole dum pressus tumet,
 Motusq; subditi nescius vastos ciet:
 Idem quieto detumet lenis sono,
 Vt cumq; lato s exitus, qua se foras
 Egereret ultro nactus, ac sensim effluit.

Con. Modo lingua fari possit, & voce exequi
 Penitus tumentem, & sponte rumpentem
 exitum

Animi dolorem. maius, & solito amplius
 Monstrum volutat pectus, immane, hor-
 ridum:

Nec ipse quo se frangat, est certum, dolor.
 Vt cumq; fabor. dicta tu nostra occule,
 Magnisq; praesta cognitam in rebus fi-
 dem.

Sen. Haud sum monendus.

Con. Marte legiones suo
 Bellasse nostras strenue ad Rhenum ferunt.

Sen. Est cur pie gratere fortunæ domus,
 Romæ Senator, Patriæ Cuius, Patri
 Natus, salutis Civium Consul, tuæ

Feli-

Felicitati.

Con. *Ipsum mones stomachi locum.*

*Quid enim? nec ipse praerogatiuam vides,
Omenq; Regni filio seruae dari?*

Terrarum habenas ambitu posci nouo?

Arcemq; Mundi mole maiore appeti?

Huc Consulatus arrogari, huc laureas?

*Geminata Pueri imperia militiae, & to-
gae?*

*Huc odia quaeri Gentium, exciri huc ma-
nus?*

Insolita, inausa bella de bellis feri?

*Huc Regna Mundi vergere, huc Terra-
rum opes?*

*Cur? nempe. Faustae liberi, Regum genus
Diuum Nepotes stirpe generosa editi*

Puero ut Britanno seruiant. pacem petant

*Qui dant. tremiscant sceptris, quae melius
regunt.*

Istum sequantur Assedam Augusta sati:

*Ducant, reducant, protegant, stipent, co-
lant,*

Quos Roma vitrix ambit ingenti prece,

Supplex tributo Gentium tellus colit.

Sen. *Tunc ista vere diceris; Romae sibi*

Si fraena solus posceret Iuuenis ferox.

Nunc

*Nunc ille belli socius, & regni comes,
 Consors duorum Caesarum, & miles Pa-
 tris*

*In parte Regni quantula haerebit minor
 Faustae duobus Liberis impar Patri?*

Con. *Erras, quietis ille consilijs queat*

Vti superbis insolens victorijs,

Toties honorum ciuicis clarus notis,

Fidens inuentae, Ciuium studijs ferox.

*Indocilis, ardens, contumax, primi ap-
 petens*

Iuris, secundi nescius, Regno imminens,

Instructus armis, copijs, naualibus

Socijs, amicis, esseris legionibus,

Nimumq; dulcis gloriae gustu ebrius?

Plus posse gestit, plurimum quisquis potest:

Ingenia magna saepe proiecit furor.

Sen. *Ingenia magna saepe submitit pudor.*

Con. *Gravis obsequenti causa, regnanti leuis.*

Sen. *Gravis est in illo, sceptrum quem Patris pre-
 munt.*

Con. *Leuis est in illo, sceptrum quem Patris le-
 uant.*

Sen. *Numquam cruentis obterere bellis vides?*

Con. *Numquam triumphis euehi cernis nouis?*

Sen. *Virtute partis ardua.*

Sed

Con. *Sed Militum.*

Sen. *Sudore multo.*

Con. *Militum*

Sen. *Discrimine*

Summo, cruore plurimo.

Con. *Sed Militum.*

Sen. *Fateor: labore Militum exemplo Ducis.*

Con. *Qui sibi triumphos poscit ob belli moras.*

Sen. *Qui post triumphos iussus ad bellum redit*

*Nec vlla lux secura, nec requies datur,
Nisi dum iubetur. Patris exhaurit statim*

Mandata velox: arma vincendo trahit,

Eademq; virtus bella quae mandat, gerit,

Exposita semper, semper obiecta hostibus,

Parata semper. numquid immunis fuit

Puerilis aetas? tela tractavit prius,

Quam nosse posset, Patriae iugulum petens

Turpis Tyrannus: civium clade oblitus

Foedisq; probris obrutus Maxentius

Virtute Patris pariter & Pueri manu

Aternus hostis Urbis exaltus perit:

Suaq; poenas fraude deceptus dedit.

Dum servitutis ingemit grauius iugo

Oppressa Roma, strictus & mucro metit

Plebem, & Senatum, sceleris & causam

scelus

Prae-

*Praebet Tyranno; raptam dum furto, metum
Regna obsidentur, omnis in ferro est salus,
Rabiemq; caedis fusus irritat cruor,
Tandem vocatus adfuit vindex Deus
Miserosq; caelo missa respexit salus:
Licinusq; Crispi dextera caesus iacet.*

*Con. Leniora sequeris: alter Alcides quoq;
Atlante fesso sustulit caelum Puer.*

*Sen. Post haec adortus regna Nabatheaе pla-
gae*

*Late sonantis Gangis intravit fretum,
Cursuq; flexo solis aestiui die
Cinē facta victor regna lustravit Puer.
Quid fabulosis Caspium monstris sinum
Memorem scatentem, Baetra quid refe-
ram ultima*

*Quassata bello non leues Latij metus?
Quid saeva Lybiae monstra numerosum
malum,*

*Subitosq; Reges littoris Carthesij?
Defensus Orbis pacis authorem suae
Sensit, ferocem expertus & mitem ma-
num:*

*Nec plura Crispus spatia quam virtus
facit,*

Pietasq; Pacis obses & Pacis comes.

Vbiq;

Vbiq; pugnax spiritus fregit truces :
 Vbiq; lenis dexteram afflictis dedit,
 Florere passus pace, quos armis modo
 Populos subegit: illud in primis putans
 Regale semper, viribus regni suis
 Stabilire terris pacis aeternae fidem.
 Quid ista profunt? Vrbe protecta caret,
 Et pacis author Ciuium externis terit
 Bellis iuuentam. tolerat Arctos niues
 Vastator Austri: cinxit Atlantem nouis
 Statim manipulis nuper Aurorae metus.
 Nunc ille caeli margine & terrae sinu
 Famam coercens Vrbe defensa exulat.
 Properes licebit, merita si digne aestimas,
 Sero es datura Roma quod Iuueni dabis.
 Sed ecce Regum Ductor, Aeneadum potens
 Adest, coactis Patribus Romae vater.
 Con. Vmbra Senatus quaeris antiqui? vides.
 Serui togati Principi seruo fauent.



SCENA TERTIA

Constantinus Imperator. Senatus.
Artemius Trib. Militum.

Habetur hic Senatus de triumpho Crispi.

Imp. **P** *Lacet. vereri mitte, felici nota:
Labens serectus prole nitetur sua.
Haec iussa noſter annulus faciat rata.
Premant superbos Principes, humiles te-
gant.
Hoc eſſe Superis proximos Reges puto,
Quod ius tueri regiae poſſunt opes.
Nec abnuenda ſceptra ſapienti reor,
Si dat regenda ſceptra ſapienti Deus.
Quod Rex & author iuris, & Mundi Pa-
ter
Simulacra magni nominis Regno gerit,
Specieq; ſacra ſuſtinens partes Dei
Orbi ſalutem reddit, & pacem ſuo.
Haec ſumma virtus: Caefares caelum
hac petant.
Minus licere credimus, cui plus licet.
Age*

*Age dum: subactis Consul Alamannis
adeſt?*

Art. *Adeſt Parente victor Auguſto auſpice
Criſpus, Parente maximo tantum minor:
Adeſt profecto quantus ex omni ſolet
Labore maior ſimilis & ſemper tui.*

Imp. *O me Parentum: o Caefarum excelliſſi-
mum.*

*Quanto redundat gaudio pectus mihi?
Moderator orbis ſumme, qui vaſto cies
Orbes rotatu, ſaecla qui condens Ducum
Maior minores terras Reges metu.
Si prole tanta videor indignus Pater,
Nimiumq; felix; ſi quid iratus tonas;
Hoc vile potius verberet fulmen caput,
Quam ſidus Orbis orbis ut raptum hoc fleat.*

*Expone ſeriem cladis, & belli modum
Proſequere. Nati gaudet ingentis Pater
Traſtare laudes, generis & fama frui.
Effare primum, caſtra quo fixit loco?*

Art. *Riguo, ſalubri, diuine & compaſcua
Qua ſe ſupino terra clementer iugo
producta ſenſim tollit in tumultum breuem.
Vndiq; tepenti prominens longe locus
Diffatur aura vere pubeſcens ſuo.
Hinc ſilua longe mugit, annosum nemus,*

Opposita castris: seruit hoc Boreae latus,
 Rigidiq; caeli frangit immodicum gelu,
 Mitemq; praestat solis hyberni fidem.
 Hinc Albis amnis ima pestringens iuga
 Placido volutus gurgite, & frugum ferax
 Amica quicquid oppida à tergo metunt,
 Conspicua quicquid pecora producunt,
 vehit:

Hinc terga montis urget: annonam hae
 vehit:

Hinc castra radit.

Imp. Commode cauit loco:

Xenophontis ista Cyrus optabat iuga
 Castris habendis Martis attentus mora.
 Laudo Magistrum. forma quae Castris
 erat?

Art. Authore quam te nouit. à summo iugo
 Demensus amplo circinat gyro locum,
 Descripta cliuo spatia castigans leui:
 Obuersa Castris Hostium Praetoria
 In aequa campi porta paulatim redit:
 Relicta tergo spectat orientem diem
 Decumana summi verticem collis pre-
 mens,

Facilesq; nostris inuehit Castris opes.

Imp. Quid? saeua pubes, bella dñ pendens, sedens
 Inclu-

Inclusa torpet? acuit an bellum mora?

Art. *Ieiuna qualis Tygris exercens famem,
Vbi mugientum stabula prospexit procul,
Si distinetur improbae ripae vado,
Immane saeuit faucibus vacuis hians,
Irasq; notas torua nequicquam incitat.
Aut qualis Vmber, notus ut nares odor
Tetigit sagaces Martij longe suis,
Dum praeda distat, paret, & lenta ferox
Cervice pugnat: aëta latratu canum
Si propius errat: lora retinenti excutit,
Subigitq; terram pedibus, & gemitu in-
crepat*

*Dominum morantem: talis obseptis fremit
Legio maniplis Theutonum aspectu su-
rens.*

Imp. *Romana laudo pectora: agnosco mares
Animos. Quid ille Consul interea meus?
Statimne pagnae copiam Pubi dedit?
Ant tempus irae?*

Art. *Magna quo pacto tument,
Spumantq; vasto flumina obstructa obice
Aestuq; feruent, verberare & crebro gemunt
Ripae trementes: mole dein victa ruit
Subitusq; pronos gurges incumbit freto,
Dominoq; victrix vnda spatatur vado.*

*Sic ille caedis ardor, irarum tumor
 In Pube nostra caede dilata capit
 Haud ipse se se: Marte concessorruit,
 Acieq; tota volitat effusus dolor,
 Gladiusq; felix & Ducis victoria*

Imp. *Si spirat ira sanguinem, nescit premi:
 Hanc si licenter incitas, nescit regi.
 Quod ille pugnae tempus admissae dedit?
 Siq; auspiciato pugnat, auspicijs quibus?*

Art. *Tuis, suisq; queis iacet Maxentius,
 Licinusq; saevi dextero extincti Deo.
 Iam nocte pulsa rebus afflarat decus,
 Curasq; adulta luce reuocarat dies:
 Pars erat in undis, summa pars iubaris
 iuga*

*Rorabat: auctus ille propiori Deo
 Ex more mentem fruge vitali piam
 Reficit, Deiq; fruitur affatu & polum
 Omnem pererrat mente renouata celer.
 Iuuenum sequuntur studia primorum Du-
 cum,*

*Sequiturq; pubes. inde sacrificia prece
 Libato honore Caelitum armatas iubet
 Cogi cohortes: confluunt iussae manus
 Vbi sede celsus herbida surgit thorus.
 Humeris reclinant scuta: crepitanti Note
 Vexilla*

*Vexilla plaudunt: horret elatis seges
 Acrata pilis: aere fulgenti iuga,
 Campiq; late fluctuant saeuo die.
 Tum Iuuenis ora pube vernanti nitens,
 Terrorz blandus, flore diuino decens,
 Horrendus armi. superat ascensu locum,
 Acies in omnes unde prospectus patet,
 Iuuenesq; gratis flammam adstantes mo-
 dis.*

*Quantus soluta fertur Eridanus niue,
 Eridanus ipsi corniger Ponto grauis:
 Aut ipse septem Nilus elapsus vijs
 Phariam perenni fonte sitientem premit:
 Tantus Latino Ductor eloquio fluit
 Indiligenter cultus, vt Regem decet.
 Illicet auara sanguinis flagrat sili,
 Fremituq; pubes feruet hortatu Ducis.
 Exinde pugna poscitur: pugnam vocat
 Clangor tubarum. protinus castris manus
 Properant relictis ordine instructae suo
 Equitumq; Peditumq; agmen. vt quondam
 gruum,
 Vbi bella facta nube trans Pontum vehunt
 Populantq; parua castra Pygmaei Ducis:
 Nubila canora sindit in versum fuga,
 Et litteratos ordines caelo trahit.*

*Nec mora: quadrata Theutonum se se
explicant*

*Specie cohortes corporum aspectu arduae,
Statuq; tantae, populi quantae exerunt
Padumq; & Athesim consistit iuxta caput.*

Quicquid Borea virium tellus creat,

Latiq; iuris dedocet froenos pati

Vnum subiectum Martis vnus coit.

Nec tot Niphatis Cyrus eduxit iugis

*Rapidus phalangas Bactra dum bello qua-
tit:*

Aut ille vastum classe qui sternens salum

Tabulata tuto maria transmisit gradu

Imp. Quo Consul aciem differit nostram ordine

Sociumq; classes?

Art. Frontibus binis graue

Lunatur agmen.

Imp. Aleae plenam dedit

*Formam: vel hostis melior a numero pre-
mat*

Vel ipse cogat agmen anguste locus.

Nam stabilis ille ductus, ut constat sibi,

Nec sustinetur ingruens, & sustinet

Facile ingruentes: Luna, ni spatium sinum

Collatat amplo, militum numero frequens,

Nimum laborat, impetu & vasto labat.

Luna-

Lunaris ecquid agminis dubias opes
Praemunit ?

1. Ardor militum, virtus Ducis,
Spectata bello sanctitas, pietas, fides
Omnesq; nulla labe transmissi dies,
Et causa belli iusta: tum facilis Dei
Haud dubia signa, Caelitum & dexter
fauor

Primis obarmat viribus iuuenes feros:
Ea prima Crispo robora, hi nerui, hae
manus:

Consilia sunt his proxima, & belli modus,
Animu:q; praesens, & Ducis solertia.
Non nihil & ipse iuuat a nostris locus
Insessus: ille militis nostri capax,
Angustus hosti, spatia fundendis dabat
Satis ampla turmis: ille procliu iugo
Demissus apte tela iacienti fauet,
Irritus in hostes ictus ut nullus cadat.
Hic, ubi reducto curuus anfractu manus
Sinuabat arcus, copias vasto sinu
Amplexus hastis horridas ouo dabat
Similem figuram Marte cuneato asperam.
Oui hac coercent ultima infusi vndiq;
Equites: & agmen stabile post equitem hic
seder.

Post agmen equites rursus ad collis sinum
 Postrema claudunt: Gnoissiae hoc cornu
 manns,

Illud tuetur funda Balearis frequens.

Imp. Ad reliqua perge. classico postquam tubae
 Monuere belli, Consul instructam quibus
 Ad arma verbis incitat Pubem efferam?

Art. Postquam phalanges dissite, & iussæ vices
 Placuerè pugnae: quemq; compellans suo
 Nomine, suorum commonet decorum me-

mor,

Alacremq; amorem vulnerum accendit
 ferox

Armis, decorus ore. dein immisso equo
 Protinus in hostem, limes explicitam secat
 Quà medius aciem, voce sublata intonat,
 Me me sequatur Dardanum quisquis de-
 cus

Ferrotuetur. dixit, ad frontem agminis
 Prouectus, hasta missili exorsum dedit,
 Omenq; pugnae: fulmen intortum Ducis
 Nimbus secutus ferreus solem eripit:
 Sub nube surgit pugna telorum aspera:
 Exoritur ingens, clamor & caelum ferit.
 Fit gradus, & omne sternitur telis solum:
 Virum vir vrget, instat & ferro premit:
 Impul-

Impulsa scutis scuta dant sonitum, &
gravi

Galcae gemunt siliu. vndiq; effusus cruor
Excurrit, ardor caede crudescit fera.

Armatus auro talis Orion micat,

Cum pronus olim nubila, & caelum im-
bribus

Rumpit solutis grandine & mista furit:

Simul igne fulgent nubila, eliso tonant

Simul igne nubes fauciae trifida face,

Ingeminat imber de super rupto aethere,

Crepitante tecta grandine illisa insonant.

Haec inter actum Consul is telum manu

Fixerat ut ipsum Theutonum Mystam,

Duci

Qui forte genere proximus, cultu pari

Ibat propinquus: felle stimulatus nigro

Regnator ingens ipse nec vasto minor

Gygante, fudit lapide quem incusso puer,

Per densa saeuus tela disiectis ruit

Ordinibus, armis inclytus, vultu ferox,

Hastaq; poscens Consulem infesta subit.

Refixa caelo signa quo ritu volant,

Rapidamq; flammam limite incenso tra-

hant:

Saxum vel ingens vertice auulsum arduo,

Aut

*Aut imbre victum turbido, annorum aut
siti,*

*Celeri ruina fertur abrupte, & solo
Actu resultat improbo, secum viros,
Armenta. stabula praecuo inuoluens sono:
Sic Imperator Theutonum medijs virum
Turmis reclusis fertur, & vasto impetu
Proculcat acies, terra qua calido rubens
Flumine redundat, tela qua strident sono
Expulsa denso, voce significans procul
Vnum notari Consulem, & ferro peti.*

*Mibi destinatur victima haec, inquit,
mea haec*

Vindicta caedis verius Ciues, mea est.

*Inhibete pugnam: crimen vnus, manus
Refellet vna. dixit, & vasta gerens*

*Se mole, poscit Consulem ad pugnam:
globi.*

*Cessere medijs; Consul interea incito
Equo, per acies caede fumabat noua
Prae se cruentum limitem, & strages a-
gens.*

*Vt Regis autem nomen audiuit, moras
Praecipitat omnes laetus oblato Duce.*

*Marmaricus illo more diuexat. Leo
Pecudes minores sanguine aspersus iubat:*

At

*At si Iuenci sorte mugitus procul
 Audyt; omisso praelio imbellis gregis
 Gaudet comantes erigens collo thoros
 Non indecoro pabulo expleri famem,
 Maiorq; ceruix regium in vulnus placet.
 Et iam suorum dubia fortuna Ducum
 Et haec & illa mussat euentu phalanx
 Omni duorum in arma conuerso metu:
 Spatio relicto campus à turba vacat:
 Humeris Iuuentus arma deponit, viros
 Coysse tantos cernere & ferro stupet.
 Nec mora, citato spatia procursum vorant
 Hinc Consul, illinc Barbarus, quantus
 Noto*

*Decertat Aquilo, iura cum repetunt maris.
 Par ille scopulo praelium missa procul
 Inuadit hasta, certa quae celeri fuga
 Allapsa pinnae Consulibus cono abstulit:
 Nec parcat amens iurgijs, isthaec prius
 Cape dona, dixit, saeue Mystrarum me-
 tus:*

*Mox alia sumes. pube iuuenili aureum
 Diffibulata casside exertans caput
 Horrendum in armis intonat Ductor meus,
 Caelumq; laetus suspicit. Ductor Ducum
 Regumq; Rector, inquit, en praesens ades,
 Telumq;*

Telumq; nostrum dirige & certam manum:

Non nouus ad hoc certamen, aut primus venis:

Vetus est leuisq; ludus hic Genitor tuus

Parua Gygantes fundere ingentes manu

Nulla superbos. dixit. & rapto impetu

Hastam lacerto vibrat, horrifonas volat

Incita per auras vulnus haud dubium ferens,

Per & coruscis asperam gemmis, per &

Auro trilicem missa loriam bibit

Altum cruorem, vita quã thalamum suum

Animae recentis folle vitali fouet.

Exclamat acies hostium: Latiae fremunt

Plausu cohortes: consonat late locus:

Contremuit Albis: voce geminata nemus

Tonuit profundum: plausus ululatu fero

Mistus per auras voluitur dubio sono:

At hasta crate cordis excepta exiit

Tergo, & duabus egerit vitam vix.

Fugiente vita Ductor infelix equo

Labitur, & hastam Consuli moriens refert,

Et spolia victor ampla Victori suo:

Sonipes quòd odio bella vinaci gerit

Domi-

Domitore cursus mortuo, quemq; impetum
 Sessore viuo ceperat, functo tenet,
 Dominumq; nimia prodit infidus fide.
 Accurrit ipse protinus, Regem excipit
 Et iam ruentem sustinet Victor manu,
 Placidaeq; mentis praebet exanimi fidem.
 Ferro peremptum corpus hostiles manus
 Auro reposeunt: Consul adiectis super
 Spolijs, remittit corpus & pretium libens,
 Et hostis ultro funus exornat sui.
 Attonitus hostis haeret, & facti diu
 Nouitate pendet: mente dein victa fidem
 Fortemq; iuxta laudat & mitem manum.
 Adeunt, & ultro foedus & pacem rogant,
 Facilesq; mores Marte damnato probant.
 Sic ille sitiens sanguinis nostri tumor,
 Studijsq; caedis asper erasis abit
 Odijs, & armis subdit exutas manus.
 Sic quas cohortes saeuus armarat furor,
 Furore maior author exarmat Fides.
 Sic saeuus Crispus bella vincendo mouet:
 Sic bella Crispus mota parcendo premit.
 Nunc tibi bicornis Rhenus immissus fluit
 Tyberine Ductor fluminum, Reclor maris.
 Ite per apertas Alpibus Cines vias:
 Gelidas Trionum libero cursu niues
 Calcate:

*Calcate: vestri iuris est quicquid mare
Vetitum subire sidus astringit gelu.*

Imp. *Nisi cui videtur aliter ex vobis Patres,
Gessisse rem videtur ex sententia
Consul.*

Sen. *Videtur omnibus: sic Flavia
Aeterna sit felicitas.*

Imp. *Meritis pares
Quaerimus honores*

Sen. *Reperies nullos pares:
Tamen triumphet.*

Imp. *Hoc placet? ne sit supra
Meritum.*

Sen. *Triumphet.*

Imp. *Studia moderari decet
Iuuenum.*

Sen. *Triumphet.*

Imp. *Roma quid si non probet?*

Sen. *Erret. triumphet. Roma si possit loqui
Sensu hoc loquatur. Derogas quicquid tuis
Meritis, honori derogas Caesar meo.
Nec me quod armis subditae gentes pa-
uent:*

*Fasces quod horret Parthicum Albanos
genus:*

*Caelo quod aequas regio sumtu domos,
Rapi-*

Rapidos & amnes plumbeos cursus doces,
 Tam mihi decorum iudico, quam quod
 vetus

Virtus, & artes laude iuuenescunt noua,
 Vestraq; senium prole reuirescit meum.
 Meruisse laurum pulcrius Caesar fuit,
 Quam dare. triumphi decora virtuti pa-
 ras,

Cui quod merenti redditur, sero datur.
 Quicquid negatur Flauys, Romae negas,
 Quae se tuendam Flauys ex quo dedit,
 Virtute saluam, laude decoratam putat.

Imp. Si Roma posuit, idq; si vobis sedet;
 Nihil hinc retracto. coepta respiciat Deus.
 Cum reteget Eos crastino Mundum die,
 Vestus triumpho, & laurea Crispus comas
 Umbratus Vrbe gemmeos currus agat,
 Humerisq; Romae Tarpestium scandat
 iugum.

Ornetur altum columen, & pugnae memor
 Stet bellicosus arcus incisus notis.
 At ipse gratus reducis ob Nati Pater
 Rem bene peractam Virginis magnae Pa-
 trem

Sobolemq; supplex thure Panthaeo colam.

C H O R V S

Q *Vaesisit decoras quisquis honoribus
Mentes ingenuis laudibus inclytas
Laudandus studio, premis
Coeptum gratus inutile.*

*Virtus aetherei progenies Patris
Natio rutilat sidere verius,
Castisq; insita mentibus
Extra se nihil expetit.*

*Caelo nata fuga nititur ardua
Caelum sidereo tangere vertice,
Curru vecta volubili,
Flammis incita patrijs:*

*Et iam stelliferis arcibus insidens
Infra se rapidis omnia fluctibus
Misceri videt, otys
Felix ipsa facillimis.*

*Nec si quid tacitis laudibus arroges;
Externa melius luce renideat:
Nec si quid male derogas:
Dampo deterius nitet.*

*Mersit nocte licet liuidus inuida:
Ipsis è tenebris expediet caput,
Obscu-*

Obscuroq; diem situ
 Ducet fraude superbior.

Est qui diuitijs pectoris vnice
 Gaudebit tacitus: nec sapientia
 Primis aucta nitoribus,
 Squalet deterioribus.

Laudem, si populi nil opis indigum
 Secundis populus plausibus ambiat:
 Si me sibilus exigat
 Infestus, lateam libens

Clarus luce mea. Stet licet Attali
 Fulgens exuuijs alter, & aureae
 Vulgo filius audiat
 Fortunae meritis minor.

Illum currus agat quo Capitoly
 Miratrix celebrat fama Quiritium:
 Illum principis Urbium
 Inscribant Patriae Patrem:

Non hunc Roma voces maxima nobilem,
 Quem clarant folijs classica Delijs:
 Huius rectius occupat
 Nomen, quem pudor indicat:

Cui currit sapiens vena benignior:
 Quem stellis pietas asserit aureis;
 Quem virtute domestica
 Dilectum Superis scias.

*Huic taurum Phalaris admoueat licet,
 Non vnquam stabili demoueat gradu,
 Vt pactam timidus fidem
 Spreto Numine deserat.
 Nil hac laude vides Roma frequentius
 Ex quo Christiadum sidereum genus
 Vis interrita pectorum
 Caelum morte paciscitur.
 Ingens eloquio Principe cum Sene
 Paulus vis animae prodiga sanguinis
 Princeps magna furentibus
 Mouit bella Neronibus.
 Ex illo Pietas numine dextero
 Pugnae difficiles explicat exitus
 Inter sceptrum potentium
 Inter fulmina Caesarum.*

Finis Actus Primi.




ACTVS

ACTVS SECVNDVS

SCENA PRIMA.

Senex Fauſtae Moderator. Chorus.

Sen.  *ICI beatum quempiam vere
vetat
Mortale nomen caſibus vi-
tae obiacens.
Nec cui ruinae ſemper im-
pendent minae,
Expers timoris vita ſolliciti vacat.*

Cho. *Quos hic metus, quas narrat humanas
vices?*

Sen. *Nihil eſſe certum conſtat: & conſtat nihil,
Hoc praeter ipſum nempe. Sed ſi quans
tamen*

Virtute nixa ſpondet incertis fidem

Fortuna rebus; Flaviae genti nego

Poſthac verendos mobilis Regni exitus.

Cho. *Utinam quod optas, Augur, euentus pro-
bet.*

Sen. *Domum beatam: cuius inuidtas opes
Trabeata virtus laude numeroſa extulit,*

*Superis amica, Caesarum numero potens:
Sagata fortis, ira si bello tumet:*

Togata felix, arma si condit quies.

Cho. *Nihil hic noceri posse virtuti putat:*

At ego inueniri posse non paucos reor,

Qui si nocere non queant; tentent tamen.

Sen. *Vel hic rigentis terror, & felix Puer*

Pacator orbis, cuncta cui prona Deus

Dextra beatæ contulit vitæ bona,

Temere ruentes impetus, rerum & vices

Exclusit omnes. Ille, quod fieri puto

*Posse, quia factum cerno (quam summam
reor*

Nunquam daturæ terga Fortunæ fidem)

Animum Nouercæ flexit in studium sui,

Primusq; vinci nouit officijs mala

Ingenia. primus Herculem vicit vagum

*Numero laborum. quippe post monstra
Hercules*

Extincta sæuæ spolia Iunoni dedit.

Post tot triumphos Crispus, & caedes feras

*Matrem in Nouerca reperit & sensus
pios.*

Ita, qui patebat vulneri tantum locus,

Amor occupauit strenue expulso metu.

Matris Nouerca, Filij mores probos

Prini-

*Pruiignus acri mente sedata gerunt
Merendo, conuiuendo, sorbendo omnia,
Dure obsequendo, cuncta moderate regens
Vtriusq; pietas nomen inuisum exiit.*

*Quid hic volutet Iuuenis Augustae calor,
Qui nunc per vrbes gentium exuuias ve-
hit,*

*Arcana quando corde secreto premit
Consilia, seq; mens in incerto tenet
Humana; non est proloqui promptum mihi.
Quid ipsa secum voluat Augusta, eloquar,
Quam nosse longo licuit ex usu probe.*

Cho. *Humana raro ingenia spectantur probe,
Muliebri nunquam. Foemina ingressus
habet*

Dubios, regressus inuios, certum nihil.

Sen. *Quod ante Crispum nemini credam da-
tum,*

*Crispum Nouerca Fausta Pruiignum pie
Amat, veretur, laudat, in Caelo locat:
Impensius Parente victori studet:*

*Adeoque rebus gaudet illius bonis,
Adeoque moeret rebus eiusdem malis;*

Vt nemo quamuis genere coniunctu, magis.

Cho. *Dolor, voluptas, gaudium, moeror, timor
Et spes, ut aestus aequor, alternum ciet*

*Animum: sed æstus æquoris causam vides:
Animi æstuantis causa deprendi nequit.*

Sen. *Illius ergo facta praeclare frequens,
Et bella forti gesta dilaudat manu.
Aut quantus hastas spargat, aut quanto
rotet*

*Fulmineus ensem turbine, ut sternacem
equum*

*Frangat, & in orbem flectat, ut rapido
fugam*

*Glomerare gressu cogat, & froenos pati.
Tum quantus ora tollat & celsos thoros
Spectandus armis. saepius multo tamen
Specimen decoris regij, incessum, statum,
Gestus, lepores, ingeni mites sales,
Linguae beatae copiam, mores pios,
Sermone crebro Mater vsurpat memor.
Amoris haec indicia materni reor,*

*Et mentis argumenta pacatae, bona
Vbiq; demirantis & nulli inuidae.*

*Nam quae fauere sponte Priuignis potest
Nouerca regno proximis merito & loco,
Et Mater ipsa, liberum & felix satum,
Et sceptrum gestans ipsa regali manu,
Hanc esse mentis facinoram excelsae scias*

Cho. *Plusquam Nouerca diligit quae sic flagrat:*

Nec

*Nec eam Nouercam nomines, quae sic
amat.*

Sen. *Est in reducta sede penetralis thorus
Conclauē tacitum Regiae longis retro
Porticibus actus: squalēt hic auro locus,
Luxuq; diues barbaro thalamus nitet:
Monumenta, series longa, stant veterum
Ducum*

*Vndiq; vel aere, lapide vel spirant senes,
Quicumq; bello nomen, aut nomen toga
Peperere magnum gentis Hectoreae de-
cus.*

*In his ad unguem Crispus exactus nitet,
Sedtoq; Iuuenis candet elephanto decens.
Imitatur artus candicans veros ebur,
Et viuus ore certat effictō sibi:
Flauescit auro crinis illusus: genis
Lanugo vernat aurea: at colli niues
Fictor nitere passus in proprijs bonis
Humeros coruscae clamydis iniectu tegit:
Iuuenilis ardor igne simulato rubet,
Qualis ruberet ipse, si pugnae calor
Inficeret ora Iuuenis, aut mentis pudor.
Vultu pererrat omnis exanguis color
Et gelida viuum corpus effigies refert,
Solamen ingens Matris & celum simul.*
Hunc

Hunc vacua postquam tetigit à curis locum,

Cho. *Si vacua curis esse quae flagrat potest;*

Sen. *Sine teste tuti nocta taciturnam thori
Mater quietem queritur absentis moras,
Nimiumq; segnes Marte longinquo man-*

*nus,
Seu luce Mundum pandat accedens dies,
Seu nocte Mundum condat abscedens iubar,*

Urget querelis moesta cunctantis moras

Cho. *Mundo citato noctis & lucis vices
Iusso recurrunt ordine, & certo fluunt
Lapsu perennes lege, qua iussit Deus:
Sed stare querimur tempus ignarum mo-*

*rae, &
Perennitatis incitum stabili fuga,
Quod cupidus animus praeripit cum quid
cupit,*

*Numerumq; Cali praeuolat, Cali & moras
Quas ipse fingit, odit impatiens sui.*

Sen. *Et bella saepe deuouet, quorum metus
Sedare iussus Vrbe defensa caret:
Quam saepe fecit pacis immunis Puer.
Nimium Parentes hostium miserae forent
Quotacumq; pars accideret illius precis.*

Vtcumq;

*Vicumq; cordis faucij lentas facces
 Dequesta votis Mater oneravit Deos;
 Aut opere curas fallit, aut cantu diem:
 Et nunc silenti plexiles ebori rosas
 Opifex corollae nectit & caste oscula
 Iterata libat, Matris ut sensus probes.
 Nunc lenta fila ducit, & clamydes acu
 Insignit aureas, ipse quas Victor gerat.
 Haec inter aliqua carmen e coetu inte-
 grans*

*Pedissequarum temperat plectro modos,
 Numerosq; frangens voce bellantem vocat.
 Ignem medullis interim Augusta intimis
 Altumq; sensum Matris affectae trahit.
 Nunc adeo segnem lucis unius fugam
 Abire quæsta, mittit accitu pio
 Qui vocet in aedes regias Iuuenem pium.
 Eat ipsa, si permittat hodiernus dolor,
 Et limen extra ferre si gressum sinat,
 Qui subitus aegrae latere perstricto in-
 cidit,
 Et aestuantem, seq; versantem anxie, &
 Gemitustrahentem fœminam affixit thoro:
 Credo ut triumpho foedet addictum diem;
 Qua lege semper nostra contingunt bona,
 Humana ne cui gaudia ad purum fluant.
 Auertat*

- Cho. *Auertat omen Regiae custos Deus:
Et hic & omnes candidi currant dies.*
- Sen. *Meo vocatu properet aētutum rogat,
Et has amoris indiccs discat notas:
Ut expetitos reddat amplexus diu,
Capitisq, cari ostendat optatum iubar,
Quae sola superest cordis aegroti salus.*
- Cho. *Hac esse Faustam mente laetari decet:
Hac & fuisse rumor afflarat leuis:
Hac & futuram foeminae spondet fides.*

SCENA SECVNDA

Eunuchus. Fidicina.

- Eun. **Q**uo Domina celerem proripis praeceps pedem?
*Resiste: subitot tempera quae so impetus.
Insana qualis Bessaric Nysae iugis,
Gelidi vel Haemi sequitur Euantum cho-
ros*
*Euoe reclamans Euoe, & thyrsos rotat;
Talis per aulam fertur attonito gradu
Incerta cordis signa lymphati gerens.*
Flam-

*Flammatus ore multus expirat vapor,
Aetnaeus ignes qualis eructat Gygas,
Qualis triformis viscera absumens iugi
Liquidos Chimera vortices flammae euo-
mit .*

*Procurrit, haeret, queritur, exundat, furor
Specimen per omne mentis incertae natat.
Quo pondus istud verget instantis mali?
Excurrat aliquis qui Viro cladem domus
Nuntiet, & huius inscium accersat metus,
At ipse tacitus verba meditabor, quibus
Iuuenem ferocem Regio iussu alloquar,
Clamydesq; pietas obuius reduci offeram
Ostro rigentes, ipsa quas fida manu
Discreuit auro in crastinam munus diem:
Qua veste fulgens Vrbe se media ferat
Ingens triumpho & pacis ingentis Parens,
Romaeq; custos, lucis optatae Puer
Patriae & Parenti reddat usuram bre-
uem .*

*Nunc aliqua vestrum verberans pleetro
chelim*

Ex more sensus excitet Faustae pigros.

*Quae te cruentae gloriae,
Quae cura praeliorum
Cogit niuales aggeres*

Fid.

Calca-

Calcare barbarorum?
 Ah nil memor Consul tui
 Nihil memor tuorum.
 Nec est paterna Regia
 Quo pergis: at rigenti
 Concreta tellus frigore,
 Quà sibilant furenti
 Alpina saxa turbine.
 Ah ne quid immerenti
 Riphæa laedant flamina.
 Florem virentis acui
 Triuisse quæ dementia?
 Et regna per Sueui
 Pellita rixas quaerere?
 Vt Martis arma saeui
 Vivo tepescant sanguine?
 Huc Crispe cursus, auia
 Huc verte signa Crispe.
 Quid regna vexas inuia?
 Inter iocosa vina
 Hic festa per conuiuia
 Rixæ satis calebunt.

S C E N A T E R T I A

Constantinus Imperator.

Nutius. Chorus.

Imp. **A** Ge: quae labanti pestis occultae notae
Vultu vagantur?

Nun. Pallet, ignescit, color

Non vnus errat: similis attonito, modo

Exanimis albet vultus, amissas prior

Modo flamma vires reparat, & varia
vice

Fugat, & fugatur oris ingenuus rubor:

Tum saepe tamquam speret, afflictam
allenat

Mentem renidens ore: post paullo, quasi

Desperet eadem, gaudio moeret breui,

Et dubia ceruix ore deiecto labat:

Addubitat, audet, ingemit, ridet, fremit.

Lacrymae sequuntur: spiritum ex alto ci-
tat:

Impune verba fundit insanus dolor;

Sine mente murmur vota taciturnum ca-
nit,

Nomenq;

Nomenq; Patris, nomen & Nati vocat:
 Plurimus in ore Crispus: ad Crispum redit
 Alicuius error mentis: in Crispo sedet,
 Omnes & undas frangit ad Crispum do-
 lor.

Imp. Non dubia signa mentis emotae canis.

Illo recursat animus eiectus statu

Vbi vota sanus saepe versabat sua.

Faustina Crispum mente materna pium

Amplexa sensus pristinos voluit furens.

Diurna corde vota quae vigili moues,

Nocturna reddit corde sopito quies.

Quisquam ne laetis credulum rebus dabit

Animum? nec aestu fluctuent quanto vi-
 det?

O vita fallax, fronte quam blanda tegis

Quantos tumultus? Nemini quicquam
 satis

Cautum est in horas: prima qua vitet timor

Quae prima Numen supplices poscant
 preces.

Nato rogabam Nestoris Genitor dies

Letus triumphis: agra nunc Coniux nouo

Terrore pauidum stringit ancipiti Virum.

Timeo, nec ipse video, quod timeo: mei

Causam timoris ipsa quae miscet metus
 Praesa-

Praesaga mens ignorat. haud quid sit scio.
 Quae causa tantos concitat motus latens,
 Olim haec apricum naeta, nequaquam est
 leuis .

Instat procella foeda, cum vento tument
 Tranquilla nullo maria. Regnator poli,
 Et tu paterni Numinis viuax honor,
 Qui nocte lucem, morte qui vitam seris,
 Natos, Parentes, Regiam quaeso aspice:
 Et quod pauemus in scy, tandem amoue.

Cho. Omnia vereri prouide, timidi est nimis:

Nihil vereri prouide, stupidi est nimis.

Illum beatum iudico si quis pedem
 Vtrinq; referens, sede se media tenet:

Nec cuncta semper anxius misere timet:

Nec dissolutus mente nil unquam timet.

Hinc ille sese Regis insinuat metus,
 Momenta rerum pondere expendens suo.
 Nec auferendam credidit vento ratem

Nimum secundo. saepe nautas in scios
 Ad saxa torquet aura, quae belle vehit.

Cum quid timendum desit, hoc ipsum time.



SCENA QVARTA

Militum Manipuli ludibundi.

Crispus cum Licetoribus

Laureatis. Chorus.

Mil. **I** Ngens Assaraci Domus,

Antiquum Iasy genus

Verſo ſoſpes ab Illo:

Bullis Laomedontijs

Insultent pecudes licet;

Cladi magna rependitur

Merces, & pretium est cinis:

Si dum Troica Pergama

Ignis vaſtat Achaicus;

Illo ex igne nepotibus

Maior Roma renaſcitur.

Nutrix optima Romuli,

Alba mitior impia,

Vrbis qualia culmina

Creſcunt lacte tuo? Duces

Quantos prole noua creas,

Diuis Roma fauentibus?

Quaeſitam meritis parem

Famae

Famae sume superbiam.
 Te regnante nihil semel
 Magnum terra videt, nihil
 Amplum robore Caesarum.
 Priscos enumerem Duces?
 An mirer potius novos?
 Cedant prisca recentibus.
 Magnis orta Parentibus
 Proles maior ab integro
 Semper Roma tibi venit.
 Antiquos memorent Patres
 Nati degeneres Patrum.
 Vel quos una Domus viros
 Edat Flavia maximi
 Haeres Nominis aspice.
 Quem Patri similem dedit?
 Quem Nato similem dabit
 Nunquam dissimilis sibi?
 Mil. Romae festa dies eat:
 Fulgent sidera purius
 Frontem Virgine Delia
 Proles Dardana cingito
 Crispo Consule vicimus,
 Crispo vicimus auspice.
 Lentis otia ferijs
 Crispo Consule transeant

Agros viset & oppida
 Labens aethere Faustitas
 Gaudens tegmine candido.
 Crispo Consule Pax volat
 Gangen inter & aurea

Ripa conspicuum Tagum:

Et qua Sole peruritur

Late diues Arabia:

Et qua pingua pascuis

Stringit rura Boristhenes:

Qua Thetis vetat ultima

Terrae brachia porrigi.

Quicquid Sol oriens videt:

Cernit quicquid & occidens

Crispi perdomuit labor.

Crispo Principe quis ferae

Motus horret Iberiae?

Quis quae vulnera dirigunt

Parthi cum simulant fugam?

Quis, quae spicula deserunt

Nervos certa Cydonios?

Cri. Submitte fasces Liclor, & Romae sacros
 Verere vultus: Urbis aspectum cole.

Cho. Accurre Roma: Consul en tandem tuus
 Adest Parenti: Crispus accitus redux.

Cri. Optata tandem teeta, Romanas opes,
 Limen

*Limen paternae sedis aequatas domos
 Caelo Quiritum cerno. Salve Gentium
 Regina tellus Imperi vertex sacri
 O cara salve Roma, quam tanti est mihi
 Hoc capite tegere. tibi meum hoc ferrum
 ad latus,*

*Scis ipsa, semper militat tu me facis
 Auidum cruoris exteri, Patriae exulem.*

Cho. *Spēctata memoras columen o Romae in-
 clytum*

Cri. *Adeste Cives undiq; ex lacti meo
 Pendete collo. fructus hic vestri breuis*

Cho. *Inuicte salve Crispe post multos mihi
 Remisse soles: Crispe solliciti metus
 Et spes sodalis.*

Cri. *Moris antiqui vetus
 Salve sodalis: studia praetextae simul
 Agitata, numquid pube prima aeva vigent?*

Cho. *Senuerē Crispe prima languescit cito
 Puerilis aevi fama sublabens situ.*

Cho. *Tu ne ille Ductor cuius aspectum prece
 Superos emaci Romaiam pridem rogat?*

Cho. *Fortem ne teneo dexteram? video om-
 nibus*

*Petita votis ora? quando desinent
 Prote timere? nempe ni talis fores;*

Non inuiderent Hostibus Ciues suis.

Cho. *O multa Ponto, multa longinquo solo
Perpessè Consul. Patriae ecquando tuae
Frui licebit libere, quo tam diu
Hostes fruuntur inter armorum sonos?*

Cho. *Aquilas Latinas horruit trepidus Scy-
thes:*

*Horruit Alanus: fulmen expauit tuum
Metuens Canopus: diues & Ganges tuos
Didicit triumphos, didicit & diues Ta-
gus.*

*Quacumq; Pontus aperit & Tellus viam,
Quacumq; cursum Pontus & Tellus ne-
gat,*

*Ocnotria sequitur Crispe te Virtus Ducem:
Te pace parta nulla componit quies.*

Cho. *Te bella tot diuersa, te casus vagum
Egere tanti: iura tu ferro tegis:*

*Tu pacis author. pace tu semper cares,
Sine fraude profugus, hospes externi soli,
Aliena consecutus, exclusus tuis:*

Cri. *Mittantur ista. bella bellamus Patris,
Authore quo vel cadere praeclarum est
mibi.*

*Non quicquid Oriens virium, quicquid
parit*

Occi-

Occiduis orbis, horream: denso sonet
 Pulsata Tellus equite: nudatis fremant
 Acies in armis: Regna conspirent licet:
 Iubeat: tonantis fulmen excipiam poli.
 Iubeat: subibo turgidi Ponti sinus,
 Lybicaeque Syrtis horridum intrabo fre-
 tum.

Iubeat: quod esse maximum reris malum,
 Patria carebo miles externus Patris.
 Imperia Patrum auspicia Natorum op-
 tima.

Virginis an aras cernimus? castae iu-
 nat

Numen vereri Matris, acceptae memor
 Miles salutis redde votiva prece
 Meritos honores.

Cho. Finitat Virgo tuos
 Opta labores.

Crisp. Virgo quae poscam docet:

Authore dignas ipse concipiam preces.

Tuos pudores Mater & partus tuos

Viriusque Gentes Solis audito: canant.

Per te reduclius regnet in terris amor,

Per te pudor, per te decor, per te fides,

Per te voluptas casta, consensus pius.

Ferrum teratur ruris innocua manu.

E & Mites

Mites in vsus falcis immites faber
 Dissingat enses. alta pax vrbes alat.
 Pietas. Fionestas, Amor inoffenso pede
 Populos pererrent. sceptrā violenta exci-
 dant:

Antiqua placeant iura : pellantur stupra,
 Et prole simili sancta laudetur nurus.
 Tua regna Virgo nil nisi sanctum decet.

SCENA QVINTA

Constantinus Imp. Crispus.

Imp. **H** Anc fida, famulae, turba, dum se se
 dolor

Pau'um remittat, Regio inuitam thoro
 Cohibete, nequid insolens peccet furor.

Resoucte gelido latice tabentes genas:
 Anhela flammis ora momento leui
 Euentilatae frigerent aurae vndiq.

Video ne cari capitis, & magnae iu-
 bar

Regale mentis, frontis augustae indolem?
 Specimen ne cerno Caesaris? cerno thoros,
 Hume-

*Humerosq; magnos, nobilem & ferro man-
num?*

Accede Nate, iunge complexus pios.

Diu cupitos affer amplexus Patri.

Exurge remoue pedibus inuictas manus:

Praecinge potius brachijs collum Patris.

Cri. O Genitor exoptate tam cupide mihi

Vnica meorum summa votorum Pater.

Imp. Ut te recepto gaudio pectus labat?

O quantus animis, qualis aspectu redis

Sidus Latini nominis, vindex togae,

Tutela Patris, robur & Romae unicum?

*Cri. In te redundant ista, quae memoras Pa-
ter:*

Dum nostra laudas facta, commendas tua,

Laudes parantur cuius auspicijs meae:

Aut si profundis prodige tantum decus;

Laudibus abundas. pace quod liceat tua.

Imp. Quae digna tantae aona virtuti rear

*Aequae rependi? Roma non ipsa est sa-
tis:*

Nec terra tantam Nate virtutem capit:

Non quicquid ingens Nereus fluctu lauit:

Non quicquid ambit Solis aeternus labor:

Sed ipsa virtus prima diuitijs suis

Opulenta meritis aequa praeclarijs parat:

Tum

Tum Reſtor Orbis ipſe virtutum Parens
Patriſ in aſtris luce decorabit noua:

Tum Fama terris fuſa virtutum memor
Diuturna (ſi quid uſpiciam in terris diu eſt)
Monumenta ab ipſo cinere narrabit re-
cens.

Cri. Placuiſſe tanto praemium eſt ſummum
Patri:

Huc quicquid addis Genitor, eſt votum ci-
tra.

Placcam: remittam ſceptra terrarum li-
bens.

Hanc nulla nobis auferet mentem dies.

Me uel propinqui pone ſub Solis rotis,

Vbi nulla campis arbor aeſtina virens

Recreatur aurâ: pone quâ pluſtris do-
mos

Indomitus agris Bructerus latis uehit:

Me nulla tellus, nulla degenerem dies

Arguet. ab Ortu Zephyrus aſſlabit prius:

Nabatheus Eurus diuitem inuadet Ta-
gum:

Albim Canopus, Sarmatae Nilum bibent.

Tu digna quaeris dona. que reddas mihi:

Ego iam recepi: munus hoc dignum puto,

Licuiſſe tanti iuſſa Genitoris ſequi.

Si das merenti dona virtuti Pater;
 Iube: dedisti: iussa pro donis puto.
 Post iussa si quid bella victori paras;
 Iterum iubendo bella victuro dabis.
 Parere possum, debeo, exopto, scio,
 Et liceat, oro. Summa non timeo aggredi:
 Non ima tanti iussa dedignor Ducis.
 Si Genitor es; permitte: si Dominus, iube,
 Tuis ut aeuum seruiat sceptris meum.
 Quodcumq; nomen sustines, soleo & scio
 Dominum, Parentem, Caesarem, Regem,
 Ducem,
 Timere, amare, colere, venerari, se-
 qui.

Imp. Lucis repertor aureae rerum Parens,
 Et tu paterni numinis vindex Deus,
 Romana nutu Regna qui torques tuo,
 Si prole tanta scepra nituntur meae;
 Nunquam verebor; cuncta coniurent liceat
 Trepidum tumultu Regna: non si Gadibus
 Iungant remotis Memnonis Reges opes:
 Non si Cheruscos alteros Memphis tra-
 hat.
 Hos Nate mores, indolem hanc semper
 gere:
 His nempe Crispe moribus Caelum patet.
 Nunc

Nunc ad vocantem confer Augustam pedem.

Optatus ille portus aerumnis ade.

Et te triumpho, & crastinae pompae appara.

CHORVS

O Sator Mundi, columenq; praesens
 Christe defensi Moderator Orbis
 Saecla qui ducis, stabiliq; rerum
 Fine coerces.

Praeses o Regum, dominaeq; Romae
 Flaviae Genti proprium precamur
 Sidus hoc faxis, luuenemq; magnae
 Laudis egentem.

Vivat hic mentis luuenis paternae:
 Hic fuer septem domitor Trionum:
 Ductor hic felix, Helenaeq; magnae
 Castus Alumnus.

Vivat & Patris rapidum sequutus
 Caesaris sulmen properet triumphos:
 Perq; non multis iter institutum
 Aequet honores.

Ceteris maior, tibi Ductor impar,

Profe-

Proferat toto tua signa Mundo,
 Supplici Victor placidus, frementes
 Acer in hostes.

Auster hanc nimbos glomerat sonoros:
 Tangat hoc armis latus: hanc corusca
 Diuitem late metuendus hasta
 Turbet Hydaspem.

Qua₃ concretum mare praeliantes
 Sustinet turmas glacialis orae
 Qua₃ Sol curru rediens propinquo
 Inficit Indos.

Siquid est Mundi, generisq₃ nostri
 Terga post Calpes, fremitumq₃ vastum
 Nerei: siquid gemit aestuoso
 Verbere Ponti;

Visat huc felix Aquilamq₃, saeuam
 Crispus attollat, dominosq₃ fascies:
 Hic simul Romae, simul hic salutis
 Signa locentur:

Vt tuum terris memoretur isdem
 Nomen, excerpfit Puer vnde laurum:
 Nec magis Romae tibi quàm tremendis
 Fulminet armis.

Sed tuas artes Puer ante laudet:
 Aequus ut summis foueat minores,
 Condito telo melior togati

*Miles honesti**Monstra non Aulae noceant bilinguis,**Liur & parcat Pueru immerenti**Feruidae bellante prior iuuentae**Opprimat ignes.*

Finis Actus Secundi.



ACTVS

ACTVS TERTIVS

SCENA PRIMA.

CRISPVS.



*V*AE me nefando scelere
 contactum procul
 Rapido procella turbine
 abreptum auferet?
 Tantum ne facinus hauserim?
 tantum nefas

*Prope me fuisse, criminis tantam luem?
 Licet execrandi facinoris culpa vacem,
 Et aure dura excluserim infandas preces.
 Licet impudicos soluerim amplexus pa-*
uens,

*Et foeda fugiam tecta; sum foedus tamen,
 Quod sceleris aures pepulit inuitas sonus:
 Quod vix reuelli corpori admotas manus:
 Audere quod quae facinus infandum fo-*
ret,

*Audire sum coactus. Vt tantum nefas
 Elapsus euitauerim; hoc magnum est nefas
 Tam prope fuisse. proxima flagro face,*
 Igna-

*Ignarus, insons, integer, si sum tamen.
 Ut non perurat fulmen, afflatu nocet:
 Vipera venena nulla suffundat licet;
 Nunquam per artus innocens errat ta-
 men.*

*Quam pene pestem labis exhausti miser?
 Horrore quatior: membra labefiunt metu:
 Attonitus horret animus, exanguis tremo,
 Quod tam propinqui sceleris accepi notas,
 Pius esse dum volo. Summe Regnator poli
 Haec scelera lentus sustines, lentus vides?
 Ecquando trifida fulmen exiliet faces;
 Si nunc sereno nubilo cingis diem?
 Per me rubenti dextera missum pater
 Transadige telum, pectus hoc igni crema,
 Si dubia fulmen librat ambiguum manus.
 Sum nocuus ipse vindices nubes tonent.
 Placui Nouercae: meruit hoc toruus rigor,
 Hoc efferati Militis vultus truces?
 Ego ne pudendis dignus incaestis? ego?
 Materia facilis Crisibus? o frustra pium,
 Toruumq; frustra filium. o miserum Pa-
 trem,
 O tecta moesta Regiae, o Phaedrae quoq;
 Faustam pudendam, o saeculi monstrum*

*Foemina Nouerca peius, o labem, o luem.
Quas Roma Phaedras, Roma quas Circes
alis?*

*Quae nam ista regio? Crispe quin propere
hinc fugis?*

In pace bella, barbaros nactus domi?

*Modo fortis inter arma, nec victus pudor,
In pace pene dexteram victus dedit.*

Meritus triumphos inter hostiles metus,

Pene in paterna lauream amisi domo,

Partamq; palmam praelijs fregit quies.

Euge Crispe patriae, imo Circeae domus

Otia, paternis exul à Regnis procul,

*Vbi terror animos acuit, vbi Martem
ciet*

Clangor tubarum, fulgor vbi ferri micat.

Integer amoris haëtenus foedi pudor

Rigescat: armis pectoris partum decus

Retinebis armis. Roma fugientem vide

*Quem non videret hostis. o Patria. o Pa-
ter.*



SCENA SECVNDA

Eunuchus. Constantinus
Minor Consul.

Eun. **F**ugit sagitta citius excussa ferus:
Rapitur procellae similis insanæ pro-
cul.

Tenemur. astu culpa Reginae nouo
Veletur ultro: sola quae superest via.
Scelus tegatur scelere. cur segnis stupes?
Quid expeditum & facile consilium diu
Torques? quid haeres? serus est facti pu-
dor.

Aude anime: vires recipe: meditatam sce-
lus

Qua licet adurge: teste cum facinus vacat;
In innocentem culpa transfertur bene.

Ultro retorque crimen: alienum nefas
Regeratur ipsi: tuta per fraudes via
Solet esse multis: sceleris is poenas dabit,
Quemcumq; sceleris tangit incoepti pu-
dor.

Capitale crimen esse finitum solet,

Non

Non inchoatum: culpa quae nouit modum,

Secura raro, tuta non unquam fuit.

Primi nocentes occupent, si quid cauent.

Impunitatem criminis crimen dabit:

Maiora magnum scelera tutantur scelus:

Extrema melius vulnera audaces mouent.

Tuto mouetur remedio cum quid caret.

Adeste Ciues: ferte populares opem

Accurre Roma: facinus infandum, nouum,

Insolitum, inausum, immane, truculentum, efferum:

Contaminatae Regiae Spolium rapit

Impurus, impudicus, incestus, stuprum

Castae Parenti Natus egregius tulit.

*Ipsam trementem, & turbida implicitam
coma,*

Et aduolutam genibus intento super

Violentus ense terret, & rapto piae

Pudore Matri spiritum miserae eripit.

Currite: inhibete, spolia ne bina auferat

Vitae & pudoris pariter: en praecipit abit:

Abit impudicus raptor: en telum, en clamys:

Pignora reliquit sceleris, o coenum, o lutum

Con. *Quae vox ad aures aduolat. Licetor gradum*

*Adde. quis in Vrbe ciuicos miscet metus,
Spectante me, me Consule? I, turbam
amoue:*

Sentiat hic hodie contumax fasces meos.

Eun. *An concitato Consul accurrit gradu?
In tempore ipsa respicit miseros salus.
Succurre Consul Regiae: optato aduenis.*

Con. *Satis ne saluae? fare: quo res in loco est?*

Eun. *Obsessa, destituta, direpta est domus:
Vexata Mater, Genitor illusus, pudor
Ereptus: aegra Regia, imperij fides
Labefacta: sanctae iura pietatis iacent.
Quod te per ipsa iura pietatis precor:
Per quicquid est mortalibus sancti vsquam,
Succurre: Romae Caesarem, Regem Pa-
tri,*

*Natum Parenti, Consulem Ciui proba.
Paterna Constantine vindicta est tua:
Romana fasces scelera contingunt tuos.
Consul tuere Patriam, Natus Patrem.*

Con. *Sceleris quis author? edoce.*

Eun. *Disces domi.*

*Iam perge quaeso: perge fer miseris opem:
Solare Matrem, & morte de media eripe.
Bene*

*Bene habet, reuixti Fausta: par irae uenit
Liuor minister: adiuvat Natus furens
Saeuae furorem Matris: inuidiae impe-
tus*

*Ody est satelles. ipsa si cuperet Salus
Non hunc iuaret. fraudis alienae reum.
Orata causa est. noster Hic pridem scelus
Aliquod coquebat: sceleris inuenit locum.
Inuidia stimulis atra quem saeuis fodit
Meritis minorem, desidi natum togae,
Et oscitantem. segnis hic nunquam dies
Nobis abibit. Matris aequales faci
Noui furores Filij: iungunt opes
Amor, ira, liuor: posse quid dicam sequi?
Flammaz & enses & neces, & fulmina.
Matrem, Nouercam, faeminam irritat
dolor*

*Turpis repulsae. vicimus uicti Phryges.
Foemina vel una sceleris est omnis capax.
Quid laesa faciet fraude concepta triplex?
Matris, Nouercae, Foeminae? quiequid
uocas*

*Matrem, Nouercam, Foeminam, mon-
strum. luem,
Furiam, procellam, turbinem, Faustam
uocas.*

*Nil leuius illa: Foeminae vt mores scias.
 Lybicae procellae obuenterim naues prius,
 Aut ubi Malea corripit Pontum sequax,
 Aut ubi Carybdis incitum longe salis
 Aequor resorbens vortice intorto vomit.
 Iam ne quid aequi Natus alienus ferat,
 Satis mouebat Mater, & sceptris manus
 Assueta, Matrisq; animus impense suos
 Fouens, in alium sponte naturae imminens.
 Quod si Nouercam posse Priuigno putas
 Beneuelle cuiquam, posse per salsum quoq;
 Innare montes mobiles Pontum putes.*

SCENA TERTIA

Fausta. Constantinus Consul.
 Eunuchus.

Fau. **P**ermitte mortem Nate. quid frustra es
 pius?

Eun. Res geritur intus magna: per fraudes gra-
 dus

Fit fraudis: vltro crimen insonti parat.
 Accincta ferro Fausta districto furit

Quasi

Quasi certa lucis rumpere inuisae moras.

Fletu rigantur ora simulato: decus

Turbatur omne frontis abscissus iacet

Humeris amictus: vulneri pectus patet.

Ornatur omni fraus nouercalis dolo.

Haec me magistrum quaereret? docta est

satis.

Pau. *Concede mortem Nate, si vere es pius.*

Licuit pudicae lucis vsura frui:

Pudore victo causa viuendi perit.

Con. *Ablatus, haud ereptus inuitae pudor*

Facit impudicam Mater. indignam no-

tam

Intaminata mente ne falso indue.

Innocua viuas: exuas ferro manus.

Melius litabit crimini infundo scelus


Qui fecit: haud coacta quae scelus est

pati.

Arcete Famulae dexteram: mentem al-

leua

Mater: pudoris pristini sensus voca.



SCENA QVARTA

Constantinus Consul. Senator.

Con. **E** *Tiam ne nostris clarus exuuijs eat
Laniſta foedus? Regiam incoeſtis
domum
Macularit audax? iura Mirmillo thori
Foedarit? Aulae illuſerit? Matrem,
Patrem
Natos pudenda labe turparit, Duces
Romae, Nepotes Caesarum, Diuum ge-
nus?
Quid niſi feroci Militum fudit manu
Lixa impudicus? Hoſtium clades domi
Reponit? Orbis Regiam praedam ſui
Ducit furoris? diripi Romam placet?
Thalamos adiri, Caesarum frangi tho-
ros?
De plebe ſupra reſpui? Reges peti?
Et à Britanno reſpui, a ſeruo peti?
Impune ſcurra ſceptra diuexet mea?
Regnis inultus ſpolia de noſtris ferat?
Animo ſupino ſorbeam tantum nefas,
Tame*

Tam insigne tam palmare? riualem Pa-
tris:

Ludibria Lixae: pellicem Matrem: no-
tam

Generis: Parentum dedecus: labem domus:

Serui triumphos: hostium risus: luem

Regni: pudores Regiae: luctus meos?

Vt scurra tantum vulnus huic Homini im-
primat,

Inuulneratus ipse, securus sui,

Et se triumphis efferens? non, si Ducum

Sunt aliquid odia. tota fraternis minis

Vndiq; coactis gentibus Tellus strepat.

Sit Patria pretium: causa bellorum Pa-
rens:

Praemia probantur: causa nequaquam
placet.

Sed occupetur. Roma commissas Ducum

Aquilas furentum cernat: equitatu leui

Latina frangi prata: iactari faces:

Corruere ferro templa: constratum regi

Sub ratibus aequor. quicquid immissis
Socer

Alpibus in Urbem. quicquid inuexit Gener,

Vbi Roma Mundi distrabi quæsta est opes.

Et se Philippis obrui, Fratrum manus

Iserum

Iterum reponant mutuis odijs. furor

Dabit arma : Roma praemium ; causam

Parens :

Orbis theatrum : iniuriae vires. bonum

Immane Regnum est , clade sit partum licet .

Imperia pretio quolibet constant bene :

Auro aestimantur cetera , auro veneunt ,

Romana ferro. ad Regna per clades eas.

Manu gerenda sceptrum rapiantur manu.

*Dissidia Fratrum bella fraterna expli-
cent .*

Sen. *Te nulla fama?*

Con. *Fama priuatos regat*

Libido Reges.

Sen. *Numinis nullus metus ?*

Te nulla pietas, nullus absterret pudor?

Con. *Priuata vitae decora priuatis canas :*

Nos alia quaedam Principes Virtus decet

Sen. *Pietate Patriae Regna retinentur bene ,*

Con. *Timore melius.*

Sen. *Sceptrum violenti Ducis*

Diuturna non sunt.

Con. *Roma victores timet*

Submissa bello.

Sen. *Roma victores amat*

Pietate victa.

Con. *Contigit cui vis amor:
Non nisi potenti terror.*

Sen. *Inuisum bonum
Nec stabile Regnum terror infidus male
Vi continebit.*

Con. *Nempe cui friget manus:
Despectus ensis perfidos fidos facit.*

Sen. *Multos timebit ille, quem multi timent:
Et quos fideles reddit infensus metus,
Vere fideles esse ne falso putes.
Pietate nata sceptrum tutatur fides.
Commune Regnum laude priuata sedet:
Commune nomen esse pietatem putes.*

Con. *Parere mauult, esse qui mauult pius.*

Sen. *Regnare non vult, esse qui inuisus cupit.*

Con. *Regale nomen viribus pollet suis.*

Sen. *Populare tolle: regium nomen ruit.*

Con. *At Diuus Vrbe Caesar oppressa negat.*

Sen. *Vulneribus idem Caesar exhaustus docet.*

Con. *Regno relicto posteris;*

Sen. *Vita hostibus*

Con. *Perfunctus Orbis Rege:*

Sen. *Defunctus viro:*

Con. *Adeptus aras Ciuium assensu pio*

Sen. *Exutus aris lege meliori senum*

Inuidia

Con. *Inuidia paucis parcat.*

Sen. *In paucis habe,*

Quos Patria studio grata populari colit.

Sceleris sub idem Roma fraterni duos

Duces, & acies Urbis unius dabit?

*Haec ampla tecta, hoc culmen augustum
Imperi,*

Hanc Orbis arcem dirues ferro? potes

*Delere Mundi columnen, hanc Urbem po-
tes?*

Et ante perdes, rapere quas optas opes?

Eruere vis, tenere quod Regnum expetis?

Haec quae libido? Patriam, ut fiat tua,

Nullam esse malle? quale tu bellum putas,

In quo precari Roma non vobis queat,

*Nec imprecari quidpiam? Quid vos vo-
cet?*

Ciues, an Hostes, arma si sumi placet?

Hostes? at Urbis arma Romani gerunt.

Ciues? at armis Patriam infestis petunt.

Vinces? dolebit Roma. vinceris? gemit.

Duces sequetur? ipsa prodetur salus.

Duces relinquet? ipsa prodetur fides.

An vota nuncupabit, ut Numen tibi

Faucat benigne? Roma sed Crispo studet.

Vt faueat illi? Roma sed debet tibi:

Viriq?

Viriq;? vires distrahi cernet suas.

Neutri? suorum clade moerebit Ducum.

Sibi? sed esse grata vobiscum rogat.

Patri? sed ille publicae causae fauet.

Omniibus? at iras omnium exauget dolor.

Nullis? at Orbis columnen augustum occidet,

Et Vrbe nixa generis humani salus.

Occasus igitur generis humani placet,

Vt expietur Iuuenis vnius scelus?

Et odia, Fratris clade saturentur tua?

Placare quaeso: spiritus froena truces.

Placare Constantine pictati refer

Animum relictæ: siste praecipitem impetum:

Publica dolorem causa priuatum regat:

Cedat saluti Ciuium proprius dolor.

Te Roma supplex, Patria te moerens rogat,

Te scelere Tellus fessa, te Mundi salus.

Con. *Vt execrandi facinoris nullas ferat*

Poenas nefandus Frater? ut semper feram

Dedecus iniustum nomini?

Sen. *Poenas dabit*

Frater nec vno vindice, aut vno die:

Ne metue: poenas fraudis expendet graues:

Tan-

Tantæsq; quantis ira satiatur tua.

Quicumq; fraudum consciam mentem gerit,

Et impeditus scelere se testem pauet,

Iudex, & index, tortor, & noxæ reus,

Idem tribunal mentis horrescit suæ,

Salutis exspes, aeger, afflictus, miser,

Omni pudore naufragam vitam exigit

Inter scelestæ mentis assiduos metus:

Non somnus illi, mensa non curas leuat:

Non vestis auro picta non gemmis rigens:

Non quæ tumultu tecta famulari strepunt;

Vndasq; populi latera glomerantis vomunt;

Licet asseclarum sepiant turmae latus:

Licet arma circum Miles addenset; potest

Fortasse tutus esse, securus nequit.

Con. Antiqua dicta trita sapientum scholis

Memores, ubi crimen sceleris assueti modus

Terminat: & iram lentus extimulat dolor.

Inusitata crimen insolitum luant

Supplicia: summam poena par culpam premar:

Vindi.

*Vindicta magnis magna Statuatur reis,
 Vexata Mater, nomen illusum Patris,
 Turpata species Imperi, & Regni decor
 Nimis est acerbum facinus: hoc ferrum,
 hoc faces,
 Datus hoc vicissim diluat Fratrum cruor.*

Sen. *Si tanta froenos ira non ullos capit;
 Nec tibi litare Frater immunis potest.
 Poenas per omnes fraudis indignae reus
 Rapiatur vnus: vnus exoluat scelus
 Qui fecit: armis Frater absiste impijs:
 Pia Regna nullo scelere maculata obtine.*

Con. *Si bella cessent; ille cui poenas dabit?*

Sen. *Matri, Parenti, Regiae, Romae, Tibi.*

Con. *Qua fraude captus, viribus victus quibus?*

Sen. *Se teste captus, viribus, victus fori.*

Sunt sancta legum iura, Romanum est forum:

Arbitria Patris: exigat poenas Pater:

Maculae paternae patrius attingit dolor

Proprie Parentem, & labis acceptae pudor.

Patrium ad tribunal deferas causam Patris.

Con. *Quid si paterni iura detrectet fori?*

Patata

Pacata Miles iura violentus ferat?

Sen. *Si iura pacis Miles irridet ferox;
Rapiantur arma. Militis Miles nefas
Iussu Parentis vindices, ultor Patris*

SCENA QVINTA

Artemius cum Militibus.

T *Rapidus quis aures vulnerat rumor
meas?*

*Crispum pudore Matris extorto fuga
Quaerere salutem? Crispus hoc tantum
nefas?*

*Haud simile veri est. Signifer signum
ocys.*

*Classes Cohortes, ferte, quo fertur pedem.
Armis tegatur Iuuenis infelix puer.*

*Si vera culpa noxium aspergit Ducem;
Nos deprecemur ore: si falsa est manu.*

*Hac sequere, propere Miles addensa gra-
dum.*

SCENA SEXTA

Eunuchus. Constantinus Consul.

Eun. **N**on ego vetustis nomen à Ceris tra-
ho

Obscurus haeres: stirpe nec clara satus
Per scepra Regum mittor, & trabeas
Ducum.

Si quaeris ex nepote quem patrem patris
Tertius ab illo censeam; mihi non liquet.
Auos, & Ataos, generis & quicquid re-
tro

Veteris meorum est. natus ex ipsis minor
Adhuc requiro, laude nec gentis mea
Novitas colorem ducit alienum decus:
Nec me parentum merita, nec tituli effe-
runt:

Sed propria Virtus, nata mecum scilicet,
Moritura mecum. genere qui turget suo
Aliena iactat, ipse postremae notae
Servile nomen, quidlibet fortis pati:
Simulare quidvis gnarus, & fraudum
celer

G Opifex,

Opifex, & omnis officii ad tempus capax,
 Versare curam callidus mentem & va-
 gam

Modo huc, modo illuc flectere instructam
 dolis:

Virtutis idem suator, & vultu tenus
 Servire doctus tempori, & scelerum sciens:
 Quem stemma nullum, stigma sed mul-
 tum notat,

Praesens salutis dicor Augustae Deus.
 Hoc esse nostrae pulcrius sorti puto,
 Claro tumentes genere Romanos Duces
 Vel fraude, vel virtute servari mea;
 Quam si superba sceptrae Pelopeiae domus,
 Aut ab vetusto nomen Assaraco geram.
 Certe pauentem crimen Augustam suum,
 Et impudicae mentis agitatam aestibus,
 Iam fluctuantem, & naufragam, & du-
 biae spei,

Et mentis inopem, morte de media dolo
 Eripuit huius dextra semiuiri Phrygis.
 Nunc mihi, quod unum restat, urgendum
 est scelus.

Ut hic lanista, quando praecipiti in loco
 Desertus, ultro pronus ex alto imminet;
 Prematur, incitetur, impulsus ruat.

Ne

*Ne si resumptis viribus Miles ferox,
 Ut nutat, anceps figat in tuto gradum
 Hostitimidus: antequam fixo pede
 Premat, opprimatur. fraude qui crimen
 struit*

*Prima antevertat tempora, & tutas mo-
 ras,*

Ne se retexat ipse per spatium dolus.

Con. *Bene habet: peractum est: scepra fundavi
 mea*

*Haec una crines laurea vincit dies,
 Stabilemque pacis sancit aeternae fidem.*

*Ante hac inanes Caesaris gessi notas,
 Vacuumque nomen Regis, & partes Ducis*

Sine Rege, ludus hostis & Romae simul.

Tandem lanista fortis in nostras manus

Venit, & armis venit excussis quidem.

*O me beatum, o Caesarem, o Agamem-
 nonem,*

*Ducum o Tyrannum, o Consulem, o Re-
 gem, o Deum.*

*Vix bene quod intra pectus exundat, capit
 Animus tumore gaudium elatus nouo.*

Eun. *Supereffluentis gaudij sensu hic Puer
 Desipit, & ardet aemulo afflicto insolens.*

Adibo, ne quid ebrj peccet calor

*Praepoperus . Orbis Rector , Hectorum
genus*

*Inuidete salve Caesar & terror Ducum.
Con. Nunc terror, ante risus, & Lixae iocus
Magniq; imago nominis.*

Eun. Virtus diu

*Latere pressa maior inuidia nequit.
Merses profundo , pulcrior solito emicat.
Lueteris , ipsis ducit ex damnis opes.
Facinus feroces impetus primos habet:
Idem senescit facile , ceu flammae vapor:
Virtutis esse robur inuidtum solet :
Et nocte promit maius ac maius decus.
Tandem Lanistae cessit immanis furor?
Tandem resedit? dexteram tandem de-
dit*

*Inuidia? teq; Roma meliorem colit?
Consilia Regum scire si seruos decet;
Quo genere poenae spiritum impurum ex-
puit
Mirmillo foedus? sceleris an poenas de-
dit?*

Con. Dabit Parenti iudici.

Eun. Non dum dedit?

Actum est. Parenti iudici nunquam dabit.

Con. At mox aperto iudicium & legum foro

Inten-

Intendet ipse Iudicis fulmen Pater.

Eun. *Mitis severo Iudici obsistit Pater.*

*Parentem eundem & Iudicem nemo vo-
let,*

Qui iure noxam persequi laesus volet.

Con. *Sensum Parentis hostis oppressit dolor,
Per gemina qui nunc scelera crudescit Rei:
Qui militari Pube glomeratus pedem
Intulit in Urbem scelere geminato impius,
Laeso pudore Matris, & Regno Patris.*

Eun. *Ne Caesar erres: ira languescit cito:*

Patriaeq; mentis detumet positus furor.

Vel has seueri Iudicis lentas moras

In scelere tanto, post truces Regis minas,

Redeuntis esse signa pietatis reor.

Per ista se se effugia dispergit dolor,

Natura cum recurrit: has quaerit vias;

Vbi se receptat pectus ad mores pios.

Optat seueri nomen, irati fugit.

Si vera quaeris; corda paulatim labant:

Et ipse se se fractus extenuat tumor

Per mitiora verba: cum iustas dolor

Vires remittit, laesus ad mores redit.

Quid si per omnes vita virtutum gradus

Treducta Nato mitiget saeuum Patrem?

Si quae per ipsos Iudices errat Rei

Gratia recurset Ciuium studio potens?
 Species honorum? tertys iam fascibus
 Notatus annus? perq; Natorum indolem
 Acti curules? nobiles ferro manus?
 Gloria triumphis nixa, terrarum fauor:
 Domitae secundis praelijs gentes ferae:
 Crispi Senatus deditus: Romae Fides
 Spectata, victor Miles adiunctus Duci:
 Praesidia Plebis: vota populorum om-
 nium?

Quid si, quod aiunt esse facturam, prece
 Crispi, paternum pectus expugnet soror?
 Quid si Nepotis Ania propugnet caput
 Helene precando? & filium fleat Pa-
 rens?

Aniae querelas spernis? an blandas pre-
 ces?

Ego nec Gemellae. Supplices quantum po-
 tes

Helenas ab Aula summone. arcenda est
 Soror

Praecipua: moestae squalor ob sexum mi-
 ser,

Ob orbitatem iustus, ob causam pius,
 Ob dignitatem blandus, ob sensum efficax

Quamuis rigentis pectus infringet Patris:
 Ad

Ad genua supplex procidet: fundet comas:

Imbri rubentes eluet salso genas:

Meditata crebro verba singultu exprimet:

Deniq; Gemellum Gemina seruabit soror,

Orbata, destituta, solitaria,

Miseranda Virgo, flore primaeuo decens.

Si forma supplex, casta praesertim rogat;

Expugnat. illam machinam prudens ca-

ue.

Con. *Profare, quo nam praestrui possit modo*

Aditus Gemellae supplici ad mitem Pa-

trem.

Eun. *Consilia velox praeripe, & primas mo-*

ras.

Con. *Iudicia properem iussa, dum longe est So-*

ror?

Eun. *Praestiterit: absit dummodo Iudex Pater.*

Pugnes id vnum. iura nec laudans fori,

Aulae resoluat. ipse decernat domi

Dum feruet ira pectus: hoc Regem decet.

Si crimen Aulae iure populari insequi

Volet; Patronus esse ne causae velit.

Rem mandet alijs: absit. hoc pulcrum est

Patri.

Sin ipse Quaestor: ipse Moderator Fori

Pater esse gestit; proximus superest labor.

Demens quidaudem haec disputo? hoc vero est nihil,

Seruile tantas res nec ingenium capit.

Con. *Expone quid sit, quod premis.*

Eun. *Nugas ago.*

Con. *Effare, ne te cogat admotus dolor.*

Eun. *Nulla dolore nostra cogenda est Fides.*

Quamquam prematur melius hoc; dicam tamen.

Ipsam ambiendum nempe Consilium puto,

Et assidentes Iudici ornandos Senes;

Ne qua forensi gratia floret Reus;

Cuniculis attentet occultis forum.

Quod prouideri conuenit: ne quos Pater

Causae aduocarit Arbitros, testes tui

Dedecoris ille reddat urbanus fauor.

Nec temere tantam transigi causam decet.

Accensa studia Plebis in Crispum vides,

Procerum, Senatus, Gentium, Romae,

Patris.

Con. *Tu quos vocari Iudices tutum putas?*

Eun. *Res ipsa loquitur. ipse quos fidos putes.*

Nattas, Stalenos, affeclas veteres Aui

Con. *Reliquos forenses vultures, Gracchos, Ma-*

ros,

Fabiosq;

Eun. *Fabiosq; Brassicasq; Bulbosq; allegas,*
Qui si palato durius responderint;
 Con. *Asperge guttam: nil erit conditius.*

C H O R V S

V *Tinam falso iactata metu*
Pennata volet Fama satelles,
Author inanis saepe tumultus:
Saepe tumultus nuncia veri.
Quae luce sedens, & nocte sedens
Turrita super culmina Regum
Mille per artus vigiles pandit
Oculos totidem subrigit aures
Anxia custos: primaeq; auceps
Aurae tenues legit afflatus:
Mox ambiguo dubitata sono
Serit incerti verba susurri:
Inde capaces fusa per aures
Vulgi, celeres explicat alas:
Duplicansq; metus crescit eundo
Inter terras, inter & astra
Lapsa volatu traiecit Vrbes
Gravis exoriens rumore leui:

Lentis

Lenis emoriens rumore graui.
 Quicquid & alter prodidit author,
 Quiddam auditis lenis affingens:
 Hoc multiplici voce remissum,
 Alter pronas narrat ad aures.
 Credita vulgo verba bibaci
 Manant porro sparsa per orbem,
 Quibus accessit credulus author
 Alter, & alter. Sic magna vides
 Flumina paruis fontibus orta
 Margine ripae vix posse premi.
 Hic, qui Romae famulare fretum
 Praebet, & ingens regit Oceanum,
 Nabilis amnis maris expertas
 Saepe procellas sustinet alnos:
 Vbi Roma suum sustinet orbem.
 At qua sacri caput erumpit
 Fluminis, undae tenuis lapsus
 Graciles, quiuis Accola fontis
 Puer audebit transire pedes.
 Vbi germano deuus Arno
 Omne linquit meliore iugum
 Sacra visurus Regna Quirini.
 Non dum niueo fonte Clitumni:
 Non sulphureo Nare superbit:
 Non dum montes terebrans ipsos
 Fabaris

*Fabaris rigidis caeruleus undis
 Temperat, iras dedoctus, aquas.
 Longe Fastis damnata fluit
 Allia: longe flumen Himellae:
 Abit & longe gelidus riuus,
 Quem depressas per conualles,
 Et per campi culta volutum
 Rugosa gelu Mandela bibit.
 Non Albunae sede relicta
 Praeceptis Anio vehit ingenti
 Mole tributum, grauiterg₃ furis
 Ire secundus.*

*Vtinam falso terrore fidem
 Perdat inanis fama susurri:
 Fictumq₃ scelus concidat Aulæ:
 Vel uterg₃ vacet crimine tanto:
 Vel vacet alter. Sed spero vacant:
 Aut opto. Sed lubrica res est
 Foemina: res est caerea primo
 Sanguine florens Militis aetas.
 Raro pulcris forma pudica est.
 Raro casta est foemina diues.
 Quod si flexit forma Nouercam,
 Si te vicit Crispe voluptas;
 Prope sollicitor, dicere, nullos
 Fortes: nullas esse pudicas.*

*Cepit Crispi forma Nouercam;
Nomine nullo foemina tuta est.
Placuit Crispo forma Nouercae;
Nulli credas Roma feroci.*

Finis Actus Tertij.



ACTVS

ACTVS QVARTVS

SCENA PRIMA.

Nuntius. Chorus.

Nun.



DVRA semper iura famulatus mei?

Nam cur acerbi nuntius casus legor?

O Crispe. Crispe.

Cho.

Fare quid portas noui?

Nun. *Hancine Parenti gratiam: has laudes referes?*

Hic est triumphis ille decretus dies?

Periere mors: exulat terris fides:

Res fama vilis; regnat immanis furor:

Afflicta foede iura pietatis iacent.

Cho. *Quod quereris ede. grauius incertos tenes.*

Nun. *Verbo docebo. Crispus inuictus cadit.*

Cho. *O Romae amores semper infauostos, breues.*

Heu heu, quid ausus Iuuenis infelix cadet?

Quis ergo forti spiritum inuictum rapit?

Quis

Nun. *Qui Regna violens calcat, & Reges: Amor.
Victrix libido nobilem fregit Ducem.*

Cho. *Audita narras fama vulgarat nefas
Indigna forti. cladis enarra modum.*

Nun. *Pater Syenes iura Legatis dabat
Procerum corona septus, & Regna ultimi
Froenabat orbis legibus, quae marginem
Vtraque refundens summonet summam
Thetys:*

*Minor ecce Consul ora violenta efferens
Et specimen ira turgidi: quiddam Patri
Tacitas in aures voce submissa sonat.
Caesar Senatu tecta dimisso petit
Protinus: & omni teste secluso subit
Qua limen aditus pandit arcana fores
Tergo relictas. Fausta turbatis comis
Occurrit aegra: liuidas fletu genas
Humecta: qualem Fama post raptum stu-
prum*

*Raptoris ense narrat armatam manu
Lucretiam occurrisse morituram Viro:
Ad genua Regis accidit: moestos humi
Disigit oculos: ora singultu sonant:
Vix verba rumpit pauca magnanimus pu-
dor:*

Sed plura corde suppressit fixus dolor.

Per

Per prisca, quaeso, iura consortis thori
 (Ne nostra dicam, fecit hodiernum scelus)
 Magnanime Constantine: per castam fi-
 dem

Dum licuit, inquit, morte testandam pia:
 Per spem Nepotum prole surgentem tua:
 Per liberorum, quaeso, nunc certam indo-
 lem:

Per si quid unquam dulce de nobis fuit,
 Exolve curis: luce me inuisa exuc:
 Permite mortem. casta, dum licuit, fui:
 Peperi: nec ullo scelere maculaui thorum:
 Pignora pudicae mentis huic Aulae dedi:
 Nunc Fausta, Constantine, non illa est
 prior.

Natura retrouersa mutauit vices:
 Permissa soboles: sanguis ambiguus: fides
 Incerta: Coniux dubia nunc certi nihil
 Nisi Fausta pellex Filij, scortum Viri.
 Quod te per istam dexteram, & sceptrum
 Imperi,
 Miserere quaeso coniugis quondam tuae.
 Sceleris pudenda labe conspersum tho-
 rum

Meo cruore diluam Caesar sinas:
 Dum Fausta certa prole distinguit Virum:
 Dum

*Dum te Parentem liberi appellant tui:
Nec dum Nepotes Fausta progignit Viro,
Ambigua Mater: seuoca incertum ge-
nus*

*Faedumq; nomen expia impurae domus.
Haec fata tacuit. plura taciturnus pudor
Exequitur. ora fletus vbertim rigat.
Causam pudoris orat elinguis dolor:
Humor perorat sal sus ex oculis fluens.
Profertur ensis pignus: Effertur clamys;
Immane certis arguunt factum notis.*

*Cho. Qua mente tantum vulnus Augustus tu-
lit?*

*Nua. Horrore primo quatitur: ex anguis stetit.
Ut se recepit. Summe proh, dixit, Pater
Fandi & nefandi testis, & vindex gra-
uis,*

*Quae scelera vindex fulmen extinguet
tuum,*

*Nisi fulminandum facinus infandum hoc
putas?*

*Quae monstra cerno? hoc vnde porten-
tum domus?*

Haec vnde foedi generis erupit lues?

Foris pudicus Miles, impurus domi?

Mibi te reseruas? rigidus hic ille est pudor?

Haec

Haec illa vultus casta maiestas trucis?
Thalamos Parentis? Ite sceleratum Ca-
put

Attrahite: saevi sentiat sceptrum Patris,
Qui exempla casti negligit. ferro cadat
Immane monstrum, dedecus mœstæ domus.
Tu vero fidei specimen antiquae nouum.
Tu socia thalami viue: nec mentem sa-
cram

Aequi tenacem nobili de corpore
Expelle: viue saeculi exemplum tui.
Dixerat: & irem protinus nutu mihi
Significat, huc ut sceleris accersam reum.
Qui si furenti, cardine in tanto, Patri
Paruerit armis asper, & victor ferox;
Pius est: & Vrbi parcat, & Patrem colit.
At si Parentis iussa detriculat ferus;
Nec ille Patri, Roma nec parcat tibi.
Omnia tumultu cerno misceri nouo,
Et orbitates Ciuium & Romae faces:
Et vastitates gentium atq; incendia.
En ipse Caesar exit: ad Crissum aduolo.



H SCENA

SCENA SECVNDA

Constantinus Imperator.

Abscede testis: arbitro sedes vacet.
Mecum ipse lamentabor aerumnas
meas.

Certe hic querelis aptus est nostris locus.
Quae prima? deinde? summa quae fletu
sequar?

Quid fiet ergo? cuius infelix Pater
Arbitria poenae, facinoris quanti reum
Quem versat urna? flector, heu, flector
miser:

Et rigidus ille languet infractus dolor,
Qui memet iterum reddit, & flammam ali
vetat furoris. Crispe quo Patrem rapis?
Quo me resorbet pristini sensus calor?
Quamquam seuerus pectora obstrinxit ri
gor:

Et te cruentas poscit ad poenas reum;
Pietas rebellat ira decedit loco:
Et iam refracta turgidas ponit minas:
Paterq; totus Iudice eiecto redit.

Ego

Ego ne ut tuorum Crispe meritorum me-
mor,

Tuo cruore tamen patrias manus?
Sit iusta quamvis poena; crudelis potest
Tamen videri: dedecet certe Patrem,
Et te meorum Crispe votorum modo
Mensura felix. Crispe quo Patrem vo-
cas?

O sors acerba. Iudicem Nato Patrem,
Natum Parenti Iudici statuis reum?
Haec una potior visa ludendi via?
Et cum superbo sceptrum calcas pede;
Erat hac petendus? Caesar hac tantum
patet?

Quem vulnerares feceram certe locum
Alibi: abstineres saeva vel saltum hinc
manus.

Quicquid renascens, quicquid emoriens
dies

Collustrat: orbe quicquid immenso iacet
Mihî seruit vni. quidlibet ferias: meum
Est vulnus: vni perditur quicquid perit.
Vbiq; telis Caesar occurrit tuis.

Quodcumq; tanges, Casarem tanges. patet
Vni, quod vni paret: hanc Urbem, has
opes,

*Haec Regna late fusa per Mundi plagas
Mea membra feci: laede quodcumq; hinc
libet,*

*Mea membra laedis. omnium clades mea
est.*

*Quin mihi sit idem, nullus est vsquam mi-
ser.*

*Quoscumq; luctus commoues, nostros mo-
ues.*

*Cur potius una hac saeva grassaris via?
Hac parte clades aggredi Mundi libet?
Hic ego vererer? me met hanc opponerem?
Haec ego rogabam sospiti Numen tibi,
Cum vota pro te Crispe narrarem Deo?
Sic tibi cauebam, capite dum vitam meo
Tuam paciscor? Dixit irridens Deus:
Hunc ipse perdes. debet hic luctum tibi,
Tu funus illi: solus est hostis Patri
Filius: & hostis Filio solus Pater.*

*Non hunc timebunt gentium uxores: tua
Vereatur vxor. Filium de tot Pater
Vnum cauebis hostibus, cuius pudor
Thalamis pepercit barbaris, idem ruens
Amore, thalamis parcat haudquaquam
tuis.*

Huic tu timere desinas, ipsum time.

O vita

O vita mendax: frontis o fallax honor.
 O certa nunquam mentis occultae fides.
 Tantum Parentis dedecus? tantum nefas
 Nati premebat tristis in vultu rigor?
 Et oris ille flexus ad tempus decor?
 Sensus in alto conditi vere latent.
 Aliud putato quam quod in speciem nitet.
 Pudor decorae frontis est fraudis color.
 Fallitq; si quid cernitur. tectorium,
 Decipere qui vult, illinit menti prius.
 Hic ille simplex munditijs, castus, rudis,
 Virgineus illibatus, intactus, sacer?
 Ille ille Regum barbarorum Matribus
 Tanto petitus ambitu? tanto mihi
 Semper negatus ambitu? felix Pater
 Modo visus & beatus, & voti modus
 Vnius humeris maxime innixus, ferar
 Felicitatis ludicrum exemplum levis.
 Erit ut Theatris syrma spectetur meum?
 Fabula Nepotum Caesar infelix ero?
 Et te Tragoedus Crispe plorabit reum,
 Et me Parentem Iudicem? dicar Pater
 Matasse Natum? Crispe diceris Patrem
 Mersisse luctu? cladis infandae, efferae,
 Thyeste dignae & Atreo (o Superum si-
 dem)

Documenta Constantinus & Crispus dabunt?

*Hic toruus, efferatus, ingenii tenax
Semper pudoris ille, legitimis thoris
Difficilis, asper, durus, alienus fugax?
Ideo maritas integer spreuit faces:
Ut impudici luxus erraret vagus?
Connubia castis lege concessa abnuit;
Ut in Parentem missus immanis furor
Arcana, formidat a naturae sacra
Temeraret audax? summe proh rerum
sator?*

*In haec facinora labis infandae pudor
Simulatus ibat? ibat in thalamos Patris?
Hoc instruebat facinus incaestus furor?
Heu rapior aestu rursus: & iustas dolor
Vires resumit: inq; vindictae impetum
Iudex reuoluor saeuus excluso Patre.
Moriatur. isthic quicquid appellas ferum
Prius ipse fecit, verius durum voces
Id qui patrauit, caede quod debet lui:
Non qui scelestos caede tollendos putat.
Si Patris animum Iudices tantum gerant:
Vires nec acres exerant mites Patres;
Omnia licebunt improbis tantum nefas
Si nunc inultum hinc auferat tantus reus;
E Plebe*

Eplebe quiuis linquet intactum nihil.

Maiora scelera semper accersit minus.

*Quae facinus incrementa tam tstrum da-
bit?*

Punita crescit noxa ramosa lue:

*Quid faciet impunita? vix unquam sce-
lus*

Solet esse sterile. culpa maiorem minor

*Procreat: & illam parturit, dum illam
parit.*

S C E N A T E R T I A

Nuntius. Constantinus Imp.

Nun. **A**uguste, dum tu questibus vanis diem
Incendis amens, tempus & fletu
teris:

Violens in armis alter horrifonum intonat,

Et se per Urbem Milite instructo inuehit.

Illo profecto, cuius excisum manu

Penetrabile Regni nuper Aréloi iacet.

*Fremet arma Miles, arma: densatis fre-
quens*

H 4 Acies

Acies maniplis Vrbe concussa ruit:

Aquilaq; mota Signifer Pubem rapit.

*Fulminat in Vrbe Crispus, & ferro im-
minens*

Cursu citato victor excidium sacrae

*Minitatur Aulae: tota quem raptis co-
hors*

*Adglomerat armis: noxium & poenae
Ducem*

Eximere ferro certa districto volat.

Aspicias inertu puluere ut caelum stetit?

Et nube coeca tremulus inserpit dies?

Hostilis ille fulgor, infestus nitor,

Auguror: & illa sanguinem nubes vehit.

Defende Caesar Urbis occasum tuae:

Tetrumq; facinus Regis oppositu impedi.

In te suprema Caesar incumbit salus:

In te Latinus ora conuersus refert:

*Tibi Roma inermis supplices tendit ma-
nus,*

Suosque Ciues moesta commendat tibi:

*Imp. Scelus hoc anhelat impudens? tantum ne-
fas?*

*His gradibus Aulae regimen affectat sa-
crae?*

Modo decorem Matris incestus tulit:

Nunc

*Nunc parricidas admouet Patri manus?
Sic scelera finit? Regna post supra appetit?*

*Iam culpa crescit: ingruit coeptum nefas:
Et se per auctus facinus irritat suos.*

*Quid nisi Megerae noxium hunc vexant
suae?*

*Nihil hic moramur. omnis in tuto est
dolor.*

*Nequitia nempe hunc prona praecipitem
incitat.*

*Nequit reprimi. morte sananda est lues.
Huc arma Miles, arma confestim. Patris
Excede pietas. Occidat. non est meus.
Ego te nefande.*

S C E N A Q V A R T A

*Crispus. Artemius. Milites.
Praefectus Urbis.*

*Cri. S Iste: processum est satis.
Haectenus in Vrbe progredi armato
licet:
Vlterius arma ferre capitale est scelus.*

Ne

*Ne quaeso causam Miles officio ingrana.
 Prodesse dum conaris, imprudens nocet:
 Studioq; peccas. siste ne stantem urgeas.
 Hic reditus hostis esse, non Ciuis solet.
 Nullo paterno scelere renocamur domum:
 Nosiro redimus. verte iam quaeso pedem:
 Refer arma retro. Natus ad Patrem vo-*

cor,

*Qui fraude nulla tangor, affinem Pater
 Culpaeputabit, ire si ulterius libet.
 Amica cernis cuncta: suspectus Patri
 Inimica cuncta reddis.*

Art. *In tanto tuam*

*Turbine salutem quaeso versari sinam?
 Ducem Tribunus deseram? quem per ni-*

ues

*Gelidas, per annes frigore aeterno pigros,
 Per & diremitas Nereo toto plagas,
 Mundi & per omnem cardinem pridem
 sequor,*

Patriae Parentum liberum vitae imme-

mor?

*Sic inter acres nostra terrores tibi
 Perspecta virtus? certa sic nota est fides,
 Inter labores, inter aerumnas viae
 Inter faces, interq; caesorum aggeres.*

Art.

*An me supremis rebus adiungi nefas
Socium putasti? Militis damnas manum,
Eidem an Tribuni? rursus explores li-
cet.*

*Virumq; laudas? utere & noto, & tuo.
Tantae ut procellae solus obiectes caput?
Stat ferre tecum quicquid est isthuc rei.
Aut nisi recusas; antecedentem sequar:
Aut si recusas; antecedentem vide.*

*Fidem requirunt prospera, aduersa exi-
gunt.*

Cri. *Expertus ista testor o fidum caput:*

*In rebus arctis cognitam Artem fidem,
Vestrasq; laudo Milites fidas manus,
Fortesq; iuxta, multa, quae possim exe-
qui,*

*Documenta vestrae laudis, in memori se-
dent*

*Animo, nec illa tempus abolebit fugax.
Sed ista Miles studia nec praesens dies,
Nec res, nec usus postulat. quicquid tibi
Pro me times, vel sero, vel frustra times:
Sed spero frustra: Caesar accersit domum:
Pater est & idem: Caesarem obseruo,
Patrem*

Colo: vereri mitte: quos fingis metus?

Aut

*Aut me tuentur iura naturae sacra
 Apud Parentem; Miles & frustra times:
 Aut non tuentur; Miles & frustra tegis.
 Pietas inermis esse securum iubet:*

Armata vix est tuta, nec culpa vacat.

*Quid me timendum facitis armatum Pa-
 tri?*

*Quid mihi timendum facitis insonti Pa-
 trem?*

*In Patris hostes arma distringi decet,
 Non in Parentem. Si Pater causae fa-
 uet;*

*Nolo timere: si Pater causae nocet;
 Nolo timeri Natus & Miles Patris.*

*Prae. Scelus in propinquo flagrat: armorum so-
 nus*

*Perstringit aures. Regis horresco minas
 Ardua iubentis: Filij horresco manus*

*Effera parantis: proximum cerno nefas,
 Nisi distinctur: omen auertat Deus.*

*Attonitus animus grande praesagit ma-
 lum.*

*Ibo, & furori primus opponam caput.
 Stabo inter arma: Filio edictum Patris
 Effabor author pacis, & author necis.*

Si iussa Patris audiet Natus pius;

Romae

Romae quod inſtat primus arcebo ſcelus :
 Si facinus vrget impium ; primus ca-
 dam .

E D I C T V M .

Quicumq; Criſpi Miles obuallas latus ,
 Audi quod orbis Reſtor edici iubet .
 Niſi iuſſa Criſpo caſtra deſerto petis :
 Armatus Vrbe ni citum exportas pedem ,
 Imperia poſt audita confeſtim ; loco
 Habebit hoſtis , ipſe , qui Caefar iubet .

Exigua noxae fuerit , & fraudi mora
 Nec audienti : capite pleſctur reus ,
 Quicumq; Criſpi Miles obuallat latus :
 Te nunc iubente Conſul appello Patre ,
 Vt militari Pube dimiſſa , illico
 Sine fraude praecſtoleris ad Graecoſta-
 ſim .

Liſtor ſequatur Conſulem ad Graecoſta-
 ſim

Natus Parentem , Caefarem Miles time .
 Graua eſſe Regum ſceptra ſpretorum ſo-
 lent .

Cri. Nihil inſolenter admones . Miles Duci,
 Natus Parenti paret , vt ſemper , pie,
 Haec

Haec arma vobis militant: Patri hoc refer.

Prae. Sapitis. Valet.

Cri. Rector o Superum aspice

Summo in periculo Militem insontem Pater:

Et tu salutis vna desertae aspice

Cortina Virgo. Castra confestim pete:

Pater aequa poscit, Miles, & causae studet.

Per ego labores quaeso communes, per & Officia bellimutua, alternam & fidem

Te Miles oro: Castra nunc tandem pete.

Nunc perge quaeso, nostra si curae est salus.

Mil. Duce destituto?

Art. Facere quid tandem paras?

Cri. Quid? obsequamur.

Art. Aleam quantam subis,

Nil deinde sentis?

Cri. Promte quid tandem horreas?

Art. Nihil. quid autem tutius Regis minis,

Odijs Nouercae tempore in summo putem?

Cri. An vindicandum reris hoc armis caput?

An à Parente reris. an Romae Duce?

Si

Art. *Si reliqua te praesidia destituant; reor.*

Cri. *At arma mitti Caesar aditum iubet:*

Non abnuendum. Genitor hoc ipsum monet:

*Obtemperandum. Caesari nolle obsequi
Iusta imperanti crimen est: Patri scelus.*

Art. *Nempe hoc diserte Iuuenis infelix palam
Edisseri vis: capitis ad causam ruis.*

Cri. *Peccasse si conuincar: expendam scelus.*

Art. *Laurum ut cupresso muret infandus dies?*

Cri. *Vtramq; frondem saepe victores ferunt.*

Art. *Vereor Nouercam: Patris horresco impetus:*

*Ne Fausta Phaedram, Theseum referat
Pater.*

Cri. *Non sumus Athenis: Gnoesium non est
genus.*

Art. *Vbi coecus ardor foeminam insanam rapit:*

*Hic sunt Athenae, hic Gnoesus, hic Phaedra,
hic furor.*

*Animum timeri Foeminae haud Patriam
deceat*

*Mala mens timendam foeminam, haud
sedes facit.*

Cri. *Ut me Nouerca perditum indigne velit;
Maior*

*Maior Nouerca perditum nolet Pater,
Redire pietas, vnde discessit solet.*

*A Patre pietas absuit nunquam meo:
Pio in Parente robur est causae situm*

*Art. Illo in Parente cuius irarum tumor
Violentus armis exiit nostras manus.*

*Cri. Licet ira sensus voluat immanis truces;
Diurnus esse sensus hic raro solet.
Animis Parentum Filij raro excidunt:
Pietas recursat: ira mitescit: Patrem
Natura prodit: ardor occultae facis
Existit vltro corde labefacto pius.*

Art. Quid si Nouercae dedit se se Pater?

*Cri. Si se Nouercae tradidit totum Pater;
Cedam furori: tempori cedam: scelus
Fecisse quod videbor, indigne tuam,
Integer & insons, sceleris alieni reus.
Turpis videri malo quam Patri impius.
Qui diuis sequatur: arma me nunquam te-
gent.*

Non exprimenda viribus nostra est salus.

Præcario exigentur accepti dies,

Si precibus vllus restat insontis locus.

*Vtinam hic adesset Auia moderatrix meae
Helene iuuentae: precibus ad Natum Pa-*

rens

Aliquid

*Aliquid Nepoti proforet. Tybur tenet
Auiam & Sororem cladis ignaras do-
mus :*

*Quò Sympherusae memoriam, & sedem
sacram*

*Septemq; iuxta Filios Matrem sitos
Ex more celebrat. optat & Templo locum:
Cineresq; sanctos colligit. Tu si meae
Studes saluti (plurimum ut certe studes)
Optime sodalis; breuia per compendia
Nuncius ad illam prouola, & causam
edoce,*

*Indicia nostrae mentis haec illi afferens.
Excurre: propera: nube dum foeda ni-
ger*

*Hic pendet imber: tempore utamur dato.
Auiæ, & Sororis redde conspectum mihi.
Nihil his receptis triste decernet Pater.*

Art. *Auxilia lenta quaeris in summis malis.
Quod si paternus nostra praeuertat furor
Consilia; summae fecimus iactum.*

Cri. *Morae
Nesciuntur omnes: quatenus forti licet,
Lacrymis agetur: eximam fletu diem:
Omne aucupabor tempus, ut causam in-
tegram*

Helenis reseruem.

Art. *Crispe quam metuo ut tibi
Quicquam in supremo tempore hic profuit
labor?*

Cri. *Male ominari parce. nunc gremio in tuo
Meam salutem condidi. quamquam Pa-
tre*

Judice, timere dedecet Natum pium.

Nomine quid illo mitius? Iudex, Pater.

*Aquilam renelle Signifer: gressum hinc
retro*

Conuerte Pubes fida, quo Caesar iubet:

Pax rebus esto: nostra sat tuta est salus,

Mil. *Non nostra Ductor nota sat Romae est
fides*

Te sic relicto.

Cri. *Roma quod laudet videt,*

Vbi ne quis armis terror oriatur nouus,

Consulere inermi cernit armatos sibi.

*Quod teste Patria quaeris, hoc verum est
decus.*

Quae, tela, ne paueret hostiles manus,

*Dedit, haec reposcit, Ciuium ut motus
premat.*

*Patriae hoc remittes Miles: hoc Romae
dabis.*

Ciues

*Cives in hostes, cuius armauit salus:
Nunc hoste victo Militem exarmat quies.
Virumq; Romae ceditur, ne si aspero
Ferro, abstinere nesciat Miles ferox;
Probet illa tantem Militem, Ciuem impro-
bet.*

*Nunc perge quaeso, non vacat vanis diem
Conterere verbis, rumpe suspectas moras.
Officia magnum magna conciliant ma-
lum.*

Mil. *O terror hostis, sidus o clarum togae:
Magis utinam audax, sanctus aut esses
minus:*

For san timerent Crispe, qui te non amant.

Cri. *Deprensa Crispe pinus haud dubie tua
Iactatur undis: errat instabili aestuans
Commisssa ligno tenuis, & fragilis salus
Per coeca saxa vecta per syrtes truces.
Excutere, non est vanus hoc caelo metus:
Te recipe Crispe: propius & maius tu-
met*

*Metu periculum, feruet iratum mare,
Et mole vasta funditus fluctus ciet.
Nec solitus horror incubat fessae rati:
Vbi si quis error consili lumen premat:
Aut si relicto fluctuet clauo pauens*

*Animo Magister: condat & caeli in-
bar;*

*Iactura summae fiat. in nubem coit
Terrificus aer: ignibus caelum micat:
Geminusq; crebris ictibus puppim polus
Attonat adempto sole: iam stridet nigro
Aequore procella: mugit insanis Notis
Congressus Aquilo: turbo contorquet sa-
lum:*

*Occidua regna Zephyrus, Orientem mo-
uet*

*Nabatheus Euris: Auster, & Cauri fre-
tum*

Emoliuntur: vnda par caelo imminet:

Imbres & aer miscet & Pontus suos.

At Puppis omni decore populato natae

Instabilis aestus inter, & caeli minas

Conuulsa, destituta subducto die:

Integra nec illi vela, nec tonsae manent:

*Costae fatiscunt: remige & nudum est la-
tus:*

*Saucius & Austro malus: antennae ge-
munt.*

Nil ratio summis suggerit cedens malis:

Nil usus audet. Omnis officio stupet

Nauta relicto. cladibus tantis darent

Lacry-

*Lacrymas vel hostes ; ludus exitium est
meum.*

*Lucis repertor aureae, mentis iubar,
Sub quo recurrunt arbitro rerum vices,
Cui famula Regi florem subdit caput
Baccata circum terra frondosis iugis:
Quem signa picti lucida observant poli:
Ventosa vasti regna quem Ponti pauent :
Et tu salutis ara : tu caeli lepor
Tu lucis almae Mater, & mundi decor
Rege fluctuantem Mater, & tandem
tuum*

*Numen serena. magna sint quamuis ma-
la ;*

Leuiter feremus viribus freti tuis.

*O Fausta, Fausta. Licet ad Grae-
costasim.*

S C E N A Q V I N T A

Ablauius. Chorus.

Abl. T *Ybure relicto Consulum notum ge-
nus*

*Ablauius Aulae praeses, & custos piae
1 3 Hele.*

*Helenaë propinquus, proximum Crisso
caput*

*Romam reuertor, causa remeandi fuit
Gratari Amico, cuius auspicijs fero
Domitus duello Rhenus Aufoniam nouis
Cumulat triumphis. Iuuenis ut magni
iuuat*

*Audire forti Regna contundi manu?
Ducis ut decoras fronde victrici comas
Vigere semper laetor, & famae decus?
Libet interesse plausibus Romae: libet
Cernere triumphos Caesarum. At moesto
silent*

*Taciturna luctu cuncta. cur tanto un-
dique*

*Nunc influente gaudio, non quo solet
Vultu triumphis Roma gratatur suis?
An luctus, an tumultus insignem diem
Infecit Urbis? Ciuium ex illo grege
Scitabor. Illi quicquid est, nunc inui-
cem*

*Tacito susurro mussitant. Causam edite
Ciues silenti. noster ex bello redux
Ecquid triumphat Crispus?*

Cho. *Heu quantas moues*

*Romae querelas Ablani? Crispus tuus
(Heu*

(*Heu vulnus Aniae*) *Crispus* (*heu saevum
piae*

Vulnus sororis) *Crispus* (*infelix Soror*)

Abl. *Meliora Superi. vivit? an quod hor-
reo?*

Cho. *Quos modo triumphis extulit, luctu obruit.
Partamque bello lauream abiicit domi*

Abl. *Quid Dux adortus castus?*

Cho. *En ipsos metus*

*Tangis. iuventae fregit ad syrtes mi-
ser.*

Nobile voluptas pectus afflauit Ducis.

Abl. *Si corda Iuuenum flammant aetatis va-
por;*

Damnum pudoris esse non vitae solet:

Laudemq; reperit saepe iuuenili pudor

Venia relictus. flore dum primo viget

Sanguis, iuventae multa donari solent.!

Iuvenile crimen exigat quisquam nece?

Cho. *In Iuvene Crispo crimen exigitur nece.*

Non lege solita gliscit in Crispo calor.

Abl. *Qua lege tandem?*

Cho. *Lege, quam suasit furor*

Abl. *Nil in supremis adfuit virtus malis*

Aevi prioris?

Cho. *Vnus interdum dies*

Effundit, actas tota quod raro parit.

Abl. *Nil obita tellus : nil Ducis victorys
Lustratus Orbis : ipse nil toties apex
Defensus armis : Roma nil humeris Rei
Suffulta prodest ?*

Cho. *Est ubi hoc ipsum nocet.*

Abl. *Nil ipse causam Genitor inuidiae ele-
uat ?*

Cho. *Imo, quod ipse tu te mireris magis,
Ipse Actor, ipse est Quaestor, & Iudex
Pater.*

Abl. *Quae monstra narras ?*

Cho. *Errat in summo nefas :
Ita fertur : haec in vulgus & rumor se-
rit.*

Abl. *Quid Roma ?*

Cho. *Mussat.*

Abl. *Iuene deserto ?*

Cho. *Duci*

*Auxilia fida Patris abducunt minae,
Adituq; prohibent mortis opposito metu.
Plebem, Senatam, Milites, Aulam, Du-
ces.*

Abl. *Quid ipse Miles ?*

Cho. *Facinus indignum fremit.*

*Minitatur Vrbi : fulgurat ferro : scelus
Defen-*

Defenset armis: ipse ni Crispus vetet.

Abl. *Quae vice Parentis Fausia Priuigno studet,*

Patrocinatur ipsa nil tandem reo?

Quo recidit ille mirus Augustae calor?

Cho. *Hic scopulus: hic Euripus: hac fregit ramentem.*

Abl. *At, o, nitentis astra, qui torques poli,
Et picta mundi froena moliris manu.*

Hoc ille tantum facinus, hoc ausus nefas?

Proh prisca virtus. Crispus hoc tantum scelus?

Quae monstra? quae portenta? quam saccli luem?

Veros, an aures hauriunt falsos sonos?

Cho. *Tu si quid audes Ablau, questu diem
Eximere differ: satius afflictiis opem esse
Afferre rebus, usus ut praesens monet.*

Aude. quid autem tempus hortetur, vides.

Aliquid mouebis. cum quid in summo esse loco,

Si nil potes sperare; desperes nihil.

Officia certe, sera sint quamuis, iuuant.

*Conare saltem. Crispus ad Graecostasim
Abiro*

Abire iussus Patris imperium manet.

*Abl. Anceps timore, vota quo vergant, feror,
Tenuiq; filo quicquid ostendunt spei
Suspensa librant irriti euentus metu.*

*Quid agis? resistis anime. nimirum hoc
nefas*

*Credi recusat. abrogat sceleri fidem
Vis magna sceleris: notus & Crispi pu-
dor.*

*Non omne pectus omnis est culpae ferax.
In tanta raro probra degenerant bona
Ingenia. fraudum summa per fraudum
gradus*

*Venit. repente nemo sic summe est no-
cens.*

*Ipsa quoq; numeris noxa succrescit suis.
Malis supremum quicquid, est, imum
fuit.*

*Non ista Iuuenis vita, non virtus erat.
Absoluo Crispum. verte nunc alio dolor.
Scrutare Faustam: Caesarum spectata gre-
gem,*

*Multa & Nouercae prole suffultam do-
mum*

*Regno imminentis. lior: Amor: odium
bonos*

Struere multos : saepius liuor nocet.

Aliquid odoror : aliquis hic errat dolus.

*Nihil explicatur : praeter hoc unum, pro-
bum*

Animum Nouercae & foemina raro dari,

Facilius adimi . vereor hic Phaedra faces .

Quendam recordor foeminae adiunctum

Phrygem

*Emasculatum , callidum , astutum , va-
frum .*

*Sat est : cubile hoc fraudis : hanc arcam pe-
tam .*

*Nunc anime temet aduoca : ingenio est
opus .*

C H O R V S

TE ne Romuleae rei

Sidus, & Custos: Ducum

Terror, & votum breue,

Vasta terrarum graui

Regna quassantem manu:

Te ne Dardaniae togae

Iura fundantem, & cito

Summa scandentem gradu,

Chl.

Culmine è tanto, Patris
 Sternet ad planum dolor
 Criminum vindex atrox?
 Quemq; tot septum globis
 Militum, & Regum modo
 Roma poscebat Ducem:
 Nunc tot exutum globis
 Militum & Regum, fori
 Vrna deposcit reum?
 Credat hoc quisquam? dies
 Vnus has laudes (vices
 Mobiles rerum vide)
 Vnus extinguet dies?
 Amor heu Romae fugax:
 Gentium heu votum leue:
 Fulgor ab magni, nimis
 Citus oblatis simul,
 Simul ablatis Ducis!

Fulmen arcanum, & Dei
 Summa momento breui
 Regna vertentem manum,
 Quisquis es felix, time.
 Me iuuet fragili rate
 Proximum littus sequi.
 Antequam Zephyri leues
 Lina destituant; legam.

Vota

Vota non facio irrita.
 Regna plebeio magis
 Tuta sunt: splendent minus.
 Illa contingant. nihil
 Amplius posco: bene est,
 Si quod est, vitae est satis.
 Animus Regem facit:
 Non opes. Regnum hoc sibi
 Quisq; dat. non tanti emo
 Splendidum nomen bonae
 Indigum pacis. domi
 Modicus vivit sibi
 Vnice notus: foris
 Dives ignotus sibi,
 Nobilis paucis, eget.
 Alta praestatur quies
 Rebus obscuris. habet
 Ille plus vitae, hic viae.
 Diuites vulgo aureos
 Splendidos inopes voces.
 Rebus humanis color
 Additus raro manet:
 Regiae nunquam. fuga
 Cuncta praecipiti rapit
 Solis obliquus labor,
 Citius Regnum. tamen



Ludit incautos placens.

Illitus Regno decor

Breuis, & raro. suus.

Purpuræ fallax honor.

Instar aestivæ rosæ

Defluit: spinæ sedent.

Finis Actus Quarti.



ACTVS

ACTVS QVINTVS

SCENA PRIMA.

Constantinus Imp. Crispus. Prae-
fectus Urbis cum Iudi-
cibus. Chorus.

Imp.



*VEM praesidere rebus hu-
manis Deus*

*Iussit, & ad arces Cuium
accerfit salus,*

*Partes in omnes semper in-
tentum addebet*

*Versare curas: summa ne rerum esserat
Animum insolentem. dulcius quam re-*

Etius

Populi secundo iure laxatur pudor.

Aequalis esse quisquis in Cives potest,

Hunc esse summum Cuium merito decet.

Eximius esse iure cum Regni cupis?

Non dissoluto iure civili velis,

Insigne Regni mente priuata ferens.

Nil gemma peccet: temere decernat nihil

Anulus, in alios asper, in quosdam leuis.

Hoc

*Hoc stemma frontis lucidum : has Regni
insulas*

*Dedere Ciuēs Ciuibus raro bonis,
Saepe meliores. Urbium Regnum datur:*

Non oritur: omnes iure naturae sumus

Aequi, sed aequos populus exortes facit:

*Et Patria, non natura gemmatum de-
dit*

*Diadema fronti, mente quod grata fe-
ram.*

Hac lege regnes rectius qua nascimur.

Populare munus iure populari geras.

Si mihi liceret arbitro curas meas

*Componere, & quò vela, quò venti fe-
runt,*

*Dirigere cursum: teste nec Mundo do-
mum,*

*Consilia, mores & fidem, & vitam, &
genus*

Romae probarem; posses infelix Puer

Vti licenter moribus quondam tuis:

Quò te libido traheret, hanc ires licet.

Impune ferret multa spectatus pudor:

*Aliquid iuuentae, non nihil precibus da-
rem:*

Fortuna quaedam, multa priuati domus

Occule-

*Occuleret: ipse multa donarem libens
Haud durus, haud iniustus, haud tristis
Pater.*

*Nunc alia Regni ratio: nunc tecti nihil.
Exposita cuncta: nostra praestanda est fi-
des:*

*Praestanda vita. lege nunc peccat mea;
Vbiq; quicquid peccat humanum genus.
Patet omnis Aula, Flaviae exemplum do-
mus*

*Commune ius, commune documentum pu-
tant:*

Vnius instituta, Terrarum vocant:

Pro voce leges, iura pro iussis habent:

Et in theatrum Gentium prodit Ducum

*Conclave: quicquid coelat hoc, omnes vi-
dent.*

Conditio dura Regis. en omnes regit,

Et regitur ipse Gentium nutu omnium.

*Qui dominus, idem servus est terrae si-
mul.*

*Hac lege quisquam sceptrum Terrarum
ambiat?*

*Hoc imperare dicitur? Regnum hoc vo-
cant?*

*Quis credat? ipsi pluribus parent Duces,
K Quam*

*Quam Populus : vni seruit hic , illi omni-
bus .*

*Nunc me Magistrum laudis : haud frau-
dis Ducem*

*Decet esse : ne me Rege permissum scelus
Putet esse quisquam . Regis oppositu nefas*

*Arcebo : sit quodcumq; , cuiusuis , ubi-
Libet . vna iuris aequitas : par omnibus*

*Conditio fuerit . omne discrimen procul
In vindicanda fraude seponam , sacer*

Integer : in omnes iuris aequati rigor

*Seruetur Aulae . authore me nemo nocens
Erit , aut inultus criminum me vindice .*

*Per stemma iuro hoc capitis , hoc sceptrum
Imperi :*

*Haec astra testor : teq; Dominorum me-
tus ,*

*Qui Regna terrae , Regna qui Caeli mo-
ues*

*Arbiter , & aequa cuncta moderaris ma-
nu :*

*Culpam sequetur poena , sit quomuis potens
Reus . vigore Regiae Regnum sedet :*

Hoc dissoluto clade cum Regum labat .

*At tu nec aequi iuris infelix memor ,
Pudore tu pessumdato Regni immemor ,*

Oblitus

Oblitus Aulae, iuris humani, tui,
 Mei, decoris regij, tantum miser
 Scelus induisti, Patre me, me Caesare,
 Quantum nec ipsae barbaro cultu efferae
 Gentes, & omnis iuris ignarae ferant.
 Miserande Nate sceptrum quo Patris tra-
 his?

Heu verba corde fixus expromit dolor:
 Vix heu dolorem voce cunctanti sequor:
 Ambiguus animi, certus arbitrij feror:
 Et huc, & illuc iactor alterna vice.

Age nunc: pudicae nulla te quando do-
 mus

Exempla tangunt, cura nec Regni leuem:
 Nec cura iuris vlla regalis tenet;
 Reus illa patere sceptrum, quae foedas no-
 cens.

Iudice Parente causa dicenda est tibi,
 Meliore causa turpior nunquam foro
 Audita terris. spolia tu Regni prius
 Exue: nec Aulae decora funestes Reus.

Cri. Pater

Imp. Parentem quem vocas? non est Pater
 Hic Parricidis:

Cri. Caesar

Imp. An quae so leue

*Nomen putasti Caesaris? ne erres. graue
Est perduelli.*

Cri. Domine

*Imp. Si vino, breui
Vim vocis huius senties.*

Cri. Index

*Imp. Sapis.
Temporibus aptum nomen appellas tuis.
Tamen hinc querelas amputa, quas non
vacat*

Audire: causam dicito.

Cri. Non hic Pater

*Agitare Natum conuenit. domi causam
Cognosce crimen pauca pro causa prius
Tecum a forensi luce seducto domum,
Cum Patre Natus, Seruus ad Regem lo-
quar.*

*Imp. Tu limen illud ingredi? tu illos lares
Audebis? hic expone si causam doces.*

Cri. Domi Parentes Liberum causam audiunt

*Imp. Quid ad Parentem prouocas? non sum
Pater.*

*Cri. Certe fuisti: quicquid est hoc quod foras
Enunciare dedecet: tangit prius
Nomen Parentis.*

Imp. Verba nequicquam seris.

*Reus es. memineras temporis, causae, tui.
Quid blanda frustra verba meditaris
reus?*

*Cri. Si Patris aures denegas; praebere Arbitri.
Sunt pauca quaedam, Iudicem quae te de-
cent.*

Praestruere pauca cogito causae reus.

*Imp. Praestruere nempe Iudici tentas Patrem.
Video quid agites machinator facinorum
Quid me deceret, ante prouisum est probe.
Iudicia tu disponito: ne erres diu.*

Cri. Per ego Parentis nomen

Imp. Illusum prius.

*Cri. Te per verendum Caesaris nomen pre-
cor,*

Commune cunctis

Imp. Ergo ne proprium putes.

Cri. Per sacra legum iura

Imp. Quae blanda prece

Praemollienda, quisquis est iustus, negat.

Cri. Per sceptrum cunctis sacra

Imp. Quae solus facis

Profana, solus omnium audacissimus

Cri. Fidei per istud pignus, inuictam manum

*Imp. Quam Roma nunc implorat, & terrae ex-
terae*

*Ne me improborum fraude superari sinat
Desiste tandem. verba meliorum audio
Non ambiendum est precibus occultis fo-
rum.*

Cri. *Recte monebas Genitor: occulta prece
Non erat agendum: supplicem videat fo-
rum.*

*Quis se videri supplicem nolit Patris?
Quem famula tellus, Roma quem supplex
colit?*

Imp. *Prohibete Famuli Iuuenis accessum im-
probi:*

*Remouete castis pedibus impuras manus.
Imperia discat spreta nunc demum pati.*

Cri. *Concede paruam rebus extremis moram:
Moriturus illud Genitor vt summum pre-
cor.*

Largire lucis munus vnius breue.

Imp. *Diffugia quaeris: fraudibus tempus petis.*

Cri. *Quas oro fraudes tempus exiguum in-
struat?*

Imp. *Omnes. quid istis moribus sacrum pu-
tem?*

*In rebus arctis tempus est nullum breue
Miseris, malisq; nullus est tutus locus.*

Cri. *Si postulati quaeritur causa, est Sorar.*

Moestae

*Moestae Sororis vltimum affatum rogo.
 Officia cuius summa permitti solent.
 Diu cupitae redde conspectum precor:
 Breue munus, aequum, facile, concessum
 omnibus.*

*Fratrem Sorori redde moriturum Pater:
 Cernat labores Fratris extremos Soror.*

*Imp. Te cernat illa nominis nostri luem?
 Arcenda, si spectaret indignum genus.
 An blanda tentas bella naturae vaser,
 Praesidia causae? Patris hos sensus mo-
 ues?*

*An instruendis spatia quaeruntur dolis?
 Dum bellicosa pube stipatus, Patris
 Decreta, Romae iussa rescindas manu?
 Subsidia pacis illa, non sceleris putes.
 Quid spes inanes corde decepto foves?
 An tibi fauere Militem speras meum?
 Meus est: & orbis ille fortunae fauet
 A me laborum praemia, a me munera,
 Et decora pacis Miles expectat meus:
 Me scelere inultum nolet oneratum tuo.*

Cri. Iudicia nemo subita laudauit Pater.

*Imp. Iudicia tanti subita tu sceleris vocas:
 Supplicia cum sint sera? post tantum do-
 mus*

Dedecus, & Aulæ vulnus, & Romæ metus?

Accepta post tot damna, post tantam luem,

Iudex violentus videor, an lentus Pater?

O fraudis architectus, o terræ pudor!

Cri. *Testor paternum nomen, & Regis fidem.*

Judicia magnæ subita properantur rei.

Ego, si supremas Filij excludis preces;

Nil moror: & æquum Patris, & Regis sacrum

Veniam ad tribunal lege, qua Cæsar inbes.

Imp. *Imo profecto lege, qua cogi solet*

Sacer, & scelestus

Cri. *Mente qua Natum decet.*

Nam quæ premenda est causa, vulgari hanc palam,

Et ad forenses differi coetum est nefas:

Nec audietur illa me certe reo.

Imp. *Nec audiatur. pone gestamen sacrum*

Speciem nec æquum publicam laedi: notas

Nec consulares moesta maiestas gemat:

Si Roma sacrum pollui cernat decus,

Quod obsolescit moribus foedum tuis.

Prima.

Prinata rite iura priuatus subi.

Discede Licitor: Consuli accede alteri.

*Cri. Succumbe virtus: Regna cum vita ab-
dica.*

*Moriamur. hoc est fortis, & iussu Patris
Hoc obsequentis; & , quod est magni, ac
pij,*

*Authore Christo, cuius exemplo reus
Causam tacebis Crispe. quam debes Patri
Reddatur ipsi vita. quod solum potes
Repende munus: gratiam gratus refer
Cui habes: & vni Crispe si vitam pie
Reddis; duobus reddis, & Patri & Deo.*

*Insigne Regni voce concepta exuam,
Sed voce quam tu suggeris Mundi sator.*

*Praesentate te, te teste Regnator Ducum,
Fabricator orbis, iuris inuentor sacri,*

Legumq; disceptator, & lator Deus,

Iudicia ritu fraudis indignae nouo

*Placet ordinare. Christe Regnorum metus,
Mundi & Magister, daedali & caeli
artifex,*

*Qui Patre Diuo satus, haud impar Pa-
tri,*

Nec par es idem Matre mortali satus,

Qui patria gestans sceptrum regali manu

Inno-

*Innocuus ipse crimen humanum expias,
 Vltima secutus, tractus ad saeuam necem:
 Tu qui recessus penitus arcanos subis,
 Ac mentis indeprensus explorans sinus,
 Iudicia Regum examinas alio foro,
 Tu me refectum luce caelesti foue:
 Et quo solebas igne vitali innoua:
 Dissolue nubem: frange concretum gelu:
 Praepande Caelum: me tibi tandem as-
 fere,*

*Custos pudoris, mentis inuictae vigor.
 Me nec suprema iussa Romani Ducis
 Nec iussa Patris summa metuentem sequi
 (Quae sint, & ipse cernis, & caelum vi-
 det;*

*Aliquisq; nostram conscius deflet vicem)
 Aspice benigno lumine, & mentem Patris
 In melius olim verte. quod noxae fuit,
 Mihi sit: luatur sanguine & crimen meo.
 Vtterius odia tendere atq; iras veta.*

*Te redde Nato, redde te tandem Patri:
 Te redde Matri: si quid & monstri im-
 minet;*

*Patriq; parcat, parcat & Matri precor.
 In caput & omnis vile tempestas meum
 Abeat. In vniam saeuias culpam semel:
 Satis*

Satis vnus vnum crimen exoluit reus.

*Nunc quod videtur Caesar: arbitria
haud moror.*

Meditata perage. vita reddetur Patri.

Tibi dona Regna spiritum addixi Deo.

Discede Licetor: Consuli accede alteri.

Imp. *Cor pepulit horror: ponit irarum tumor:*

*Mansuescit iterum pectus, & lenem ad
Patrem*

Iudex relabor. ora cur fletus lauit

Intussus? ignis corde qui serpit nouus?

Hoc ut patretur facinus, & dirum nefas

A me Parente? Natus inuictus Patris

Iussu peribit? squalor ingentis Ducis

Inflexit oculos. Occidat non est meus.

Meus est. supersit: aestus incertum rapit:

Iramq; pietas, ira pietatem fugat.

*Instabilis instar aequoris raptum aesti-
bus*

Cor fluctuatur sensus increscit pius:

*Luctatur odium. vincor, heu vincor mi-
ser:*

Placidusq; Patris sensus in pectus redit.

Quid anime titubas? saeue cur causa dolor

Praeuaricaris? Iudices non sum mei

Potens. seuerum Iudicem prodit Patris

Natura

*Natura mitis. melius excedam foro.
Iudicia vos transigite: dum mitis reo
Natura seruit.*

*Cri. Caesar hanc causam. an Pater
Deseris? ad illum prouoco: hic si deserit.
Famulum ne Caesar, Filium an linqvis
Pater?*

*Vterq₃ viriq₃ Iudicem certe dabas:
Audis utrumq₃ neuter o Rex, o Pater.*

*Cho. Vitalis esse Ductor infelix nequit
Res acta. Inuenio praesidiy quicquid fuit,
Perijt. pietate nixa succumbit salus.
Natura se se prodit. infelix reus,
Quem non furentis ira, sed lenis Patris
Opprimit, & odys asper indulgens amor.
Talia quis vnquam monstra periturus
tulit?*

*Amore victus Filium perdit Pater.
Saevitia cessit, saevitiae clementia
Successit. arma saeuus abiicit furor,
Pietas resumfit mitis: o rerum vices.
Mollescit ira: lenitas saeuit: dolor
Misero pepercit: obsuit clemens amor:
Et, quod magis mirere, fugiendo obsuit.
Iam morere Crispe, morere. Te quid iam
timeet?*

Natura

Natura mores vertit & Faustae fauet:

Prodesse quod solebat, hoc Crispe nocet.

Semel quod ire coepit, in prouum ruit,

Prae. *Eloquere si quid Crispe pro causa cupis.*

Cri. *Causam quis unquam primus ostendit reus?*

Sic iudicas? sic Patris exerces forum?

Quo more, quo me dicere exemplo iubes?

Prae. *Ergo rogatus altero dicas loco.*

Huc Iuuenis enssem: Iuuenis huc clamydem cedo.

Haec spolia cernis? cuius hoc ferrum, haec clamys?

Indicia sceleris ecquid haec cernis tui?

Cri. *Cerno. quid igitur? haec tenus scelus haud liquet.*

Prae. *Cur ergo Fausta protulit?*

Nunquam pij

Sic in Parentes Filij inquirunt suos.

Mandata Matris exequimos est meus:

Consilia non exploro.

Prae. *Pietatem doces.*

Argueris aliud. arma (responde hoc quoque)

Intulit in Urbem Miles armatum Ducem

Te profecutus?

- Cri.** *Intulit : nullitamen*
Infesta : Patri militans , Romam tegens ,
Amica credens cuncta , renuentem se-
quens .
- Prae.** *Obruere numero testium . Mater , Pater*
Frater , Senatus omnis , & Ciues docent
Duce te tumultus esse concitos novos :
Et signa facti congruunt . ecquid negas ?
- Cri.** *Nego tumultus esse concitos . Ducem*
Esse affecutos Milites , id non nego ,
Sine fraude , nulli noxios .
- Prae.** *Ergo audias .*
Te perduellem Regis , & Romae metus ,
Te parricidam hic gladius , haec clamys
arguit ,
Et perduellem scelere conuicto Pater ,
Et perduellem laesa maiestas Ducis ,
Et quae premuntur reliqua deposcunt neci .
Iudicia Patris esse , non nostra haec scias .
- Cri.** *Decreta dura condiunt verbo Patris .*
Sorbebo nec condita : ne Iudex time .
Non imparatum pectus ad vestra attuli
Iudicia . vitae summa Mors , summum
haud malum est ,
Quam nemo sapiens horruit , certam om-
nibus ,

*Ipsi inuocatam, & saepe meditatam, &
diu:*

Ex quo salutis conditor nostrae Deus

Suo cruore diluit terrae nefas,

Mortem & subegit spiritu indigne dato:

*Horrere Mortem quempiam, non est
pium.*

*Iam victa, iam mansueta, iam demum
mibi*

Vltima videtur esse, non asperrima:

*Hac abitus, hac & reditus in Caelum est
pys:*

Exire qui cunctatur, imprudens sibi

Exilia lento prorogat Patriae exuli.

Ego cur verebor ante condictum diem

Remigrare? vitae quicquid in terris fuit

*Anceps, pauendum, lubricum semper
fuit.*

Nunc liber animus, omnis exempto metu

*Discriminis. quo tendit in Patriam euo-
lat.*

*En ille terror Gentium & Regum me-
tus*

Victo timore mortis, & vitae simul

Amore victo, sceleris & culpae inscius

Ad te reuertor exul à terris Pater,

Rex

Rex summe Regum Christi virtutum ar-
biter.

Nunc, nunc pudicae mentis interpretes Pa-
rens

Matrona caeli Virgo: nunc quaeso ulti-
mos

Crispi labores aspice & praesens ades.

Abeamus. i prae quisquis ad mortem
rapis,

Calcanda cunctis, trita non paucis gradu
Superetur alacri debitae mortis via.

Valete Ciues; Roma terrarum vale
Regina nostri capitis obiectu haud semel
Defensa.

Cho. Forti graderis ad caedem pede,
Et sicus ipse flebilis lacrymas necis
Nobis relinquis? Iuuenis heu quantus ca-
dis?

Heu Ductor heu, heu, Consul, heu Caesar
miser.

Hos ad triumphos Iuuenis infelix redit?
Huc recidit ille Miles, huc laudes Du-
cis?

Miseret iuuentae flore quae primo occidit
Virtutis omnis: miseret indigni exitus:
Miseret sororis huius ignarae mali.

Miseret

Miseret Gemellae, heu miseret heu Aniae
simul

Huius Magistrae. heu misera quos fletus
dabis?

Questusq; quos? heu Iuuenis, heu quantus
cadis?

Cho. Ut celsus animus laetus audiuit necem?
Ut pectus ingens? habitus ut vultus stetit?
Quid hic pauperet Miles in ferrum ruens;
Qui sic suae securus occurrit neci?

Cho. Quid non superet pectoris ardor,
Quondam Calybum durior aere,
Quondam facili lentior unda? —
Viden ut noto cognita caelo
Tacitae laudis conscia virtus
Ardua vultu stetit immoto
Mortis nullos confessa metus?
Nullas pauidi testata notas?

Cho. Hic, qui scythicas tolerare nives
Didicit mitis Patris imperio
Potuit summam claudere lucem
Lethi impavidus Ducis arbitrio.
Non hostiles horruit enses:
Non expauit Caesaris iras.

Cho. Qui sic moritur, quicumq; ille est
Iudice me, ni fuit innocuus;

L

Certe

*Certe potuit iure videri.
 Si causa necis miseranda fuit;
 Non est miseri stabilis vultus
 Nullo fugiens terrore color.*

S C E N A S E C V N D A

Ablaius. Eunuchus. Chorus.

Abl. *S* *Imulata remoue verba, quem frustra
 paras
 Decipere? vici saepe seruatorum dolos:
 Etiam Spadonum, vana perplexis modis
 Consilia, falsae mentis ambages struis.
 Fama est: & omnes voce constanti se-
 runt,
 Sacuos furoros Regis & Faustae faces
 Diuentilatas artibus tantam tuis
 Vomuisse flammam: teq; Reginae aesti-
 bus
 Subseruientem, Regiam, Romam, Du-
 cem
 Meruisse luctu: crimen infandum reo
 Struxisse Crispo: rumor haec passim vagus;
 Haec*

*Haec populus, haec Senatus, haec Miles
canit.*

In te odia Ciuis acuit, in te Milites.

*Iam iam faces videbis, & ferrum, & ro-
tas.*

*Eloquere: Crispi hoc crimen, an Faustae
fuit?*

Eun. *Consule forenses arbitros: illi haec docent.*

Abl. *Volueris eodem. subigēt inuitum dolor
Quodcumq; coelas edere, & dirae mali
Doloris artes igne subiecto eruent.*

Quin sponte promis Vrbe quod rumor serit?

*Quod & coactus machina admota expri-
mes?*

Eun. *Quid agimus? instat conscio culpae metus.*

Abl. *Addubitat? haeret? pallet? hic, hic est sce-
lus.*

Crimen pavor deuclat. incertus color

Vultu pererrat. proprius est seruo metus.

Natura mores sera dediscit suos.

Bene est. tenetur facinus. iterabo metum.

*Hac sequere tu me Fabricator facino-
rum.*

In capita Regum ludis? in vitam Ducum

Baccharis audax? omnis inuentor doli:

Hac perge tu iam. sifteris Regi reus

Non sic abibis : debitas poenas dabis.

Infame monstrum, generis humani lues.

Cho. *Ecce alia clades. crimen in Faustam re-*
dit.

Ludibria rerum cerne. prob priscam fi-
dem?

Quod si spadonis ludus infandi sumus :

Site Nouercae dirus oppressit furor

Miserande Ductor, cruda quis digne fleat

Exitia?

Cho. *Nostris scelera respondent senum*

Contende fraudes Roma cum paribus pa-
res :

Gracias Latinis iunge: cum priscis nouas:

Exempla confer. Crispus Hippolytum mi-
ser,

Et Fausta Phaedram, & Theseum Cae-
sar refert.

Cho. *Quis iam Nouercae credat? heu Iuuenem*
pium :

Fortem, innocentem, fraude demersum
impia.

Suspectus ille semper Augustae calor,

En quo residit: fortis in cineres Ducis.

Cho. *Vigor aeternae flabilis aurae*

Sator, & custos flamen honesti,

Sensus

*Sensus amoris sacer ingenui:
 Utinam caelo decidat ardor:
 Utinam castis pura medullis
 Misceat ignes tua flamma tuos,
 Penitusq; meo pectore regnet
 Foedis curis prius abstersis.
 Nisi tu sacra face praeluces
 Inter dubij lubrica sensus
 Coecis animis praeuius ignis;
 Probris nimum vita pudendis
 Squalet tenebris mersa profundis.*

Cho. *Verum est quod cytharae modis
 Docet intonsa cernice Puer,
 Dum mulcet rabidi Ducis
 Furiata sacro pectora cantu:
 Animiq; truces temperat aestus.
 Verum est quod fidibus docet:
 Victum pectus amoribus
 Coecas in furias agi:
 Nulla cupidos lege teneri:
 Facile irasci semper amantes:
 Et quos cepit amor, furor
 Eosdem praecipites rapit.
 Tenui quando limite distat
 Furor amentis, feruor amantis.
 Haec vicinia lubrico*

Se discrimine continens

Tangit amores, tangit & iras :

Dirimitq₃ breui sine furores .

Affines odio faces

Crebro iaetat amor. nihil,

Nihil iratus distat amanti :

Nisi quod cupida est sanguinis ira,

In ferrum rapido gradu,

In flammis violens manus

Rubra cruentas semper itura.

Amor insanus mitius errat,

At non idem parcius errat.

Calor est coecae mentis uterq₃ :

Blandior alter, saeuior alter.

Furor armatus dicitur ira:

Furor est & Amor rursus inermis.

Quanta furori datur armato

Copia noxae, tanta furori

Cedet inermi .

Sanguinis aestus pectora circum

Turbidus irae suscitatur ignes :

Qui si magno efferbuit auctu ;

Ruet in flammis, ruet in ferrum,

Malus & Patriae, nec bonus hosti,

Dabit in praeceps omnia secum .

Amor ex animis aestuat imis

Noxius

Noxius error sensibus haustus,
 Qui cum laxas fudit habenas,
 Animi late populatur opes,
 Nullaq; potest ratione premi:
 Calor insanus, furor immanis:
 Vis in vetitos probrosa thoros:
 Degener ardor: decorum labes:
 Hostis honesti: transfuga recti.

Cho. Odisse potest quisquis amavit
 Errore pari, leuitate pari.
 Odiy messis semen amoris.
 Post osuris praelusit amor.
 Optat amari quicumq; nimis,
 Nimis offendi cupit. ulcisci
 Volet ingentes laesus amores,
 Vbi se sperni sensit amantem.
 Incipit ira hic, vbi coepit amor
 Vrere mentes: cumq; senescit
 Mollior ignis; durior exit
 Cinere ex ipso rediuuius amor.
 Vnius ortus cinis vnius.
 Nitidae formae carpere florens
 Qui non potuit leniore manu,
 Grauiore volet. dabit armato
 Tela furori vindicta ferax.
 Herbas pignit terra salubres:

Herbas nutrit terra nocentes .
Aconita virent propter acanthum:
Vrit amomum carduus horrens:
Lilia canent secus urticam.
Illa nitentis gratia veris,
Pompa colorum, viua venustas
Rosa dumetis armata riget.
Illa furentum blanda voluptas
Sensus amoris proximus irae
Abit ultores laesus in ignes
Odio effroeni tela daturus

SCENA TERTIA

Nuntius Aulicus. Constantinus Imp.

Nun. **A**ffinis es quicumq; Reginae dolis,
 Quicumq; Faustae Natus, aut Ci-
 uis faues,
 Effuge. latebras quaere submotas procul
 Profugus. Nouercae falsa deprensa est
 fides.
 Exitia Nati Genitor orbatu miser,
 Et impiatam dexteram indigne gemens,
 Scele-

*Sceleris Magistros quaerit ad iustam ne-
cem.*

*O Fausta, saeculi Fausta portentum tui,
Quae foeminarum Phaedra ne teterrima
Audiret; atrox misera geminasti nefas.
Tu morte Natum, clade funestas Pa-
trem,*

*Moerore gentes. si patet tellus; fuge.
Quaecumq; tellus moeret haec clausa est
tibi.*

Sed quae perempto terra non Crispo gemet?

*Imp. Properate famuli: eripite Iuuenem inno-
xium:*

*Inhibete mortem: sistite indignae necis
Decreta: ni vox sera decreto venit
Emissa: nostrum crimen insontis necem
Prohibete. Mundi Reclor, aetherae po-
tens*

*Froenator Aulae cernis infundum hoc ne-
fas?*

*Haec scelera mitis praeteris? montes qua-
tis*

*Cum tela torques? nocte non foeda occu-
pas,*

*Medioq; mundo mergis extinctum diem?
Hoc est quod ille cordis agitabat tumor:*

Hoc aestus: hoc praesagia: hoc anceps
pauor:

Animi hoc ferebat coeoa tempestas mei:

Ducis immerentis funus, & Patris nefas:

Fraudes Nouercae: gentium luctus: suum

Praesaga mens horrebat occultum scelus.

Huccine ferebar Caesar? in tantum irruui

Facinus? Nouercae credidi? infelix Pa-
ter

Natum pudicum perdidi? castum, pium,
Fortem, innocentem, supplicem, bello in-
clytum,

Firmamen orbis, robur Augustae domus,
Clypeum Parentis, columnen & Romae vni-
cum.

Mihi verba dantur? Regiae illudit spado?

Cur euirato stultus irascor seni?

Fecit, spadones facere quod turpes solent.

Haec Mater autem? haec sceleris inuen-
trix noui

Stolata meretrix (labis heu foedae pudor
Delende nunquam) stipitem nisi me Vi-
rum

Putasset; haec auderet? illudor miser,

Illudor. Aulæ fabulam infelix dedi.

Vir impudicae Coningis inui faces

Fosdi

Foedi minister sceleris ut demum forem.

Et quasi Nouercae sensus, aut esset pius:

Aut nil nocere foeminae posset furor:

Castum impudicae Filium obieci dolis

Parasitus Imperator, & vecors Pater.

Ac ne Nouercae munus ingratum foret;

Ingens trophaeis, palma lemniscis velut

Ornata, Inuenis foeminae in gremium est
datus.

Ergo triumphis ante decoratum nouis,

Tamquam insulatam victimam adduxi
prius

Popa, dein Sacerdos Caesarem Caesar:

Pater

Leno ut Nouercae, carnifex Nati foret?

Ergo furenti Coniugi stulte pius

Adseruiebam? lateris hic ergo dolor?

Hic error aegrementis? hic cordis vapor?

O machinatrix criminum, o Mundi pro-
brum.

O Phaedra prae te casta nunc demum.
sacrum

Aggressa Natum Phaedra, non fallit Pa-
trem.

Professa flammis audet ingenuum nefas.

In scelere fortis ipsa meditatum scelus

Inuadis

*Inuadit ultro: nemini mandans suas
 Partes, pudori parcit alieno impudens.
 At tu scelestam splendide mendax faciem
 Vtramq; passa, detegis neutram dolis
 Ausura tantum, si quid hortatur furor.
 Ego visus aptus, Filium per quem ruens
 Amore mulier fleeteret suasu Patris,
 Si mollis esset: durus at si esset, furens
 Odys Nouerca frangeret iussu Patris?
 Dolosa semper, scelere si thalamum in-
 quinat:
 Probrosa semper, fraude si scelera obruit.
 Peior Nouerca, siue cum turpis fouet
 Alimenta flammae, legitur inductor Pa-
 ter:
 Instincta Maenas siue cum caedem sitit,
 Pater interemptor legitur; ut Phaedram
 probes,
 At ego virorum somnium, stolidum
 caput
 Illi fauebam, cumq; temeraret fidem:
 Et coniugalis sacra sceleraret thori;
 Natum pudicum foeminae incoestae da-
 bam.
 Hem quae iuuabam probra, cum dixi Pa-
 ter*

Nunc

,, *Nunc ad vocantem confer Augustam pedem.*

,, *Optatus ille portus aerumnis ades.*

Laetare Theſeu. Phaedra lenonem virum

Te non putavit. ipſe trabeatus Gnato:

Et Imperator Phormio Fauſtae feror.

S C E N A Q V A R T A

Nuntius alius. Constantinus

Imp. Chorus.

Nun. **O** *Dira iuſſa Regis, o Romae fides,
Scelus o Nouercae, Gentium o ſum-
mus dolor.*

Quas ad querelas moeſtus: & luſtus vocor?

Imp. *Quoſcumq; luſtus deſlet hic, deſlet meos.*

*Proloquere quicquid quereris. heu miſerum
iuvat*

Geminare queſtus.

Nun. *Criſpus, heu, letho occubat.*

Dolo Nouercae morte properata iacet.

Mortis libenter pignus acceptae hoc Patri

Moriens

*Moriens remittit: teq; dum ferro cadit
Moriens recepto saepe conatur Patrem
Sine mente murmur voce miseranda ex-
iens.*

*Haec astra testor, lenta properasti Pater
Auxilia sero mitis, & frustra pius.*

*Non sic premebat Fausta mandatam ne-
cem:*

Celerem pietatem citius exclusit scelus:

Furor Nouercae iussa praeneruit Patris.

At Iuuenis animo certus, & vultu stetit:

Nec gelidus horror ille morienti fuit:

Non ille pallor, esse qui vulgo solet.

Sed laetus & sublimis, & plenus spei

Animo refusus intimo effulsit decor:

Qualis cadente sole purpurea nitor

Sub nube fulget lucis incertae breuis.

Flebat satelles, affeclae flebant, sui

Securus ipse risit in summis malis.

Et iam recepta morte sic ambas manus

*Compositus, astra contuens, IESVM
frequens*

IESVM renidens voce languenti ciet.

*IESVS supremum spiritum & vocem oc-
cupat.*

Cho. Patris heu moeror, Patris heu luctus

Puer

Puer infelix: miserande Puer.

Pius heu frustra Puer infelix:

Pudor heu fortis, sacer heu frustra.

Imp. Nunc monstra, nunc ingruite, violentum

Patrem

Obruite, mersum opprimate, pressum ex-
tinguite.

Nunc igne crebro mugiat Mundus, Pater

Molire nebulas: bella ventorum vndiq;

Committe: coeca nube subtexe aethera:

Illisa plangent littora: exemptum iubar

Fulminibus exple: vindica infandum sce-
lus.

Si quaeris in quem tela iaculeris; meum

Caput illa tundant: sceleris authorem hic
vides.

Ego ille sum, qui perdidit Iuuenem pium.

Ego supplicantem Filium oppressi inso-
lens.

Ego Nouercae prodidi: Nati efferus

Ego interemptor ille, qui falsum nefas

Effugere cupiens incidi in verum nefas

Cho. Patris heu moeror, Patris heu luctus:

Puer infelix, miserande Puer.

Imp. Audite Cives, vosq; Terrarum ultimae

Audite Gentes, dissitae & Ponto Insulae

Audite

*Audite crudi Patris infanda, horrida,
Fera documenta. saeculi en crimen va-
gor:*

*Telluris odium, sceleris exemplum noui,
Hostis meorum, carnifex Regum, impiae
Ludus Nouercae, iuris exitium sacri,
Legum sepulcrum, barbarus lethi artifex.
Ego Caesar ille iustus? en factum docet.
Exempla iusti disce quicumq; hoc negas.
Ego nempe sanctus ille? qui iustas preces
Immanis, execrandus, immitis, ferox;
Sancti, innocentis, supplicis spreui Pater?
Ego nempe castus ille? quis vero id neget?
Tanto impiatum scelere cum luctu om-
nium?*

*Nun. Caesar querelis tempus haud unquam pe-
rit.*

*Nunc iusta Nato solue. per Iuuenum ma-
nus*

Viduatus ecce spiritu Crispus redit.

Miserande Genitor excipe infelix onus.

*Cho. Heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu,
Puer infelix, Puer infelix.*

Miser heu reditus Ducis inuicti:

Patris heu luctus, Patris heu luctus.

Puer infelix miserande Puer.

Heu,

Heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu,
 Imp. *Huc, huc decori Militis corpus decens*
Huc dulce pondus, pondus infelix date.
Heu parce Nate, parce, quod castum, ac
sacrum

Nefastus, execrandus attrecto Pater.
Hic ille Crispus: Consul hic ille est meus?
Haec illa species oris? hic vultus decor?
Hoc sidus illud frontis augustae iubar?
Hic geminus ille fulgor oculorum? hic le-
por?

Haec illa cervix? Caesar agnoscis genus?
En pasce visus, pasce crudelis Pater.

Opus hoc cruentae dexteræ cernis tuæ?
Pandite nefanda caede funestam do-
mum:

Augusta luctu moereant atro atria:
Dardania claris tecta lamentis sonent.

Cho. *Puer heu letho mersus acerbo*
Miser heu Consul, miser heu Caesar.
Generis Caesar columen nostri,
Firmum Consul columen Romæ.
Tua dissecit dextra phalangas:
Tua dissecit dextra Tyrannos.
Tibi terga fugæ vertere manus:
Viduata suo Duce palantur

M Agmina

Agmina laxis fusa manipulis.
 Tua bellipotens dextera vicit,
 Tu praesidium Patriae fessae,
 Tu robur eras. Hostis in arma
 Tota trahebat robora Regni:
 Opibus tantis ipse inferior,
 Virtute prior, Numine fretus
 Ante pauores acer agebas,
 Ante cruenti fluminis undas.
 Spargensq; hastas turbine certo.
 Vulnere certo mucrone premens.
 Aciem in mediam missurus equum
 Rabidum efflantem naribus ignem:
 Cyllaron olim velut vrgebat
 Helenae frater colla comantem.
 Decus heu raptum Ducis indigne:
 Ducis heu magni funus acerbum.

Imp. Hic hic reponere Miles excelsus in thoro
 Exanguis corpus: aureas vestes premat.
 Hic est triumphus currus, heu rerum vi-
 ces.

Sic ad Parentem victor ex bello redit?
 In haec Senatus verba decretum tulit?
 Victor triumphet. Occidat non est meus.
 Lauro reuinctus Tarpesium scandat in-
 gum:

Vinctus

Vinctus cupresso funebri iaceat thoro.

Plausus sequatur Civium insignem Du-
cem :

Plangore resonent tecta funesti Patris.

Aspicite Cives , cernite ex illo Duce

Quid iam supersit. mole collapsa fluit

Exanime corpus. disperit frontis decus.

Et dubia ceruix languet , & languent ge-
nae :

Et illæ Regnis docta moderandis manus,

Heu gelida languet . Mundus his nixus
modo

Humeris sedebat? ensis hac fulgens manu

Rotatus ipso ex praelio pacem tulit?

Hac tot Duces , tot Regna , tot Reges ia-
cent ?

Hic ille terror Gentium? hic Crispus meus?

Cho. Heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu.

Ducis indigni decus heu raptum

Ducis immeriti funus acerbum.

Imp. Non tu superba scepra Romana potens

Gestabis Aula , Nate , quod vetuit Pa-
ter .

Non iura Populis , iura non Romae dabis:

Non Regna Pori victa , non Mauri tra-
bes ,

M 2 Spar-

Sparsoſq̄ campis horridas vaſtis Getas.
 Non tu Sicambros ſub tuum mittes iugum,
 Hominumq̄ Morinos ultimos, non tu Scy-
 thas,

Non tu rigentes Sarmatas, non tu Dahas
 Audax ſequeris nobiles turmas agens.

O dulce pignus, columen o lapſae do-
 mus,

O luſtus Helenae Matris, o moeror Pa-
 tris,

O vulnus orbae Filiae, o Romae dolor,
 Moeſtumq̄ junus Gentium, o crimen
 meum.

Laus Deo Beataeque Mariae Virgini.



ERRATA.

Pag.	Errata.	Corrige.	Pag.	Errata.	Corrige.
23.	Phaedram	Phaedra	148.	conuenit.	conueni o
29.	Mandi	Mundi			caufam.
45.	Ducam	Ducum	151.	cuius	cuiuis
46.	victor	victus	152.	pudor?	pudor f
58.	tegtigit	tetigit	152.	nec	ne
64.	pauidium	pauidum	156.	Iuuenis	Iuueni
105.	Faqioſq;	Fabioſq;	157.	armatam	armatum g
140.	Ducis?	Ducis!			



R. O. M. A. N. O. S.

1888

REGESTVM

A B C D E F G H I K L M.


Omnes sunt quaterniones præter M,
duernionem.




R O M A E,


Apud Carolum Vullietum. MDCL.













V. 2

18

18

1830

18 - 370